



Wiener Stadt-Bibliothek.


17755/11826A





6

W. 24556.



S E L E C T A
LATINAE ORATIONIS
EXEMPLARIA,

VOLUMEN I.



Venalis est in albis
in charta densata cum
dorso corio vestito

(43 Cr. M. Conv.)
(1 Fl. 47 $\frac{1}{2}$ Cr. V. V.)
(49 Cr. M. Conv.)
(2 Fl. 2 $\frac{1}{2}$ Cr. V. V.)

VINDOBONAE,
In libraria Caes. Reg. ad St. Annae in platea Joannis.

1 8 2 6.

LIBRARIUS

EXEMPLARIA

Longum est iter per praecepta , breve et efficax per
exempla.

Seneca.



T
V
M
C

I
A
H
U
M

I. Similitudines et Comparationes.

1.

Ingenium patientia malorum hebescit.

Ovid. Trist. V. 12. v. 21. sqq.

— — Ingenium longa rubigine laesum
Torpet, et est multo, quam fuit ante, minus.
Fertilis, adsiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.
Tempore qui longo steterit, male curret, et inter
Carceribus missos ultimus ibit equos.
Vertitur in teneram cariam, rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacavit aquis.
Me quoque despero, fuerim quum parvus et ante,
Illi, qui fueram, posse redire parem.
Contudit ingenium patientia longa laborum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.

2.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Ovid. Trist. I. 8. v. 5. sqq.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Adspicis, ut veniant ad candida tecta columbae,
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicae tendunt ad inania numquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes, radios per solis euntibus, umbra est,
Quum latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunae lumina vulgus;
Quae simul inducta nube teguntur, abit.

A 2

3.

Possidens plurima, plura cupit.

Ovid. Fast. I. 195. sqq.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi;
 Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
 Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
 Dum populus pauper, dum nova Roma fuit;
 Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
 Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
 Juppiter angusta vix stabat totus in aede!
 Inque jovis dextra fictile fulmen erat.
 Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis;
 Pascebatque suas ipse senator oves.
 Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem,
 Et foenum capiti supposuisse suo.
 Jura dabat populis posito modo consul aratro;
 Et levis argenti lamina crimen erat.
 At postquam Fortuna loci caput extulit hujus:
 Et tetigit summos vertice Roma Deos,
 Creverunt et opes, et opum furiosa cupido:
 Et, quum possideant plurima, plura volunt.
 Quaerere, ut absument, absumenta requirere certant,
 Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.
 Sic, quibus intumuit subfusa venter ab unda,
 Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
 In pretio pretium nunc est. Dat census honores,
 Census amicitias: pauper ubique jacet.

Tempus omnia vincit.

Ovid. Trist. IV. 6. v. 1. sqq.

Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri,
 Praebet et in curvo colla premenda jugo.
 Tempore paret equus lentis animosus habenis,
 Et placido duros accipit ore lupos.
 Tempore Poenorum compescitur ira leonum;
 Nec feritas animo, quae fuit ante, manet.
 Quaeque sui monitis obtemperat Inda magistri
 Bellua, servitium tempore victa subit.
 Tempus, ut extentis tumeat, facit, uva racemis,
 Vixque merum capiant grana, quod intus habent.

Tem-

Tempus et in canas semen producit aristas,
 Et ne sint tristi poma sapore facit.
 Hoc tenuat dentem terram renovantis aratri,
 Hoc rigidas silices, hoc adamantam terit.
 Hoc etiam saevas paullatim mitigat iras:
 Hoc minuit luctus, moestaque corda levat.
 Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
 Praeterquam curas attenuare meas.

5.

Facit experientia cautum.

Ovid. Trist. I. 1. v. 75. sqq.

Terretur minimo pennae stridore columba,
Unguibus, accipiter, saucia facta tuis.
 Nec procul a stabulis audet secedere, si qua
Excussa est avidi dentibus agna lupi.
 Vitaret caelum Phaëton, si viveret, et quos
 Optarat stulte, tangere nollet equos.
 Me quoque, quae sensi, fateor Jovis arma timere;
 Me reor infesto, quum tonat, igne peti.
 Quicumque Argolica de classe Capharea a) fugit;
 Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, semel vasta percussa procella,
Illum, quo laesa est, horret adire locum.

a) Caphareus promontorium Euboeae, hodie *Negroponte*; ubi Graeci, eversa Troja in patriam revertentes, naufragium fecerant.

6.

Ardor Tyrriorum in aedificanda urbe.

Virg. Aeneid. I. v. 422. sqq.

Instant ardentem Tyrii: pars ducere muros
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa:
Pars aptare locum tecto, et concludere sulco.
Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.
 Hic portus alii effodiunt, hic alta theatri
 Fundamenta locant alii: immanesque columnas
 Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
 Qualis apes aestate nova per florea rura
 Exercet sub sole labor: quum gentis adultos
 Educunt foetus; aut quum liquentia mella

I. *Similitudines et Comparationes.*

Stipant et dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum; aut, agmine facto,
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.
Vervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

7.

Vir constans non flectitur lacrimis.

Aeneid. IV. v. 441. sqq.

Ac veluti, annosam valido quum robore quercum
Alpini Boreae, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, et alte,
Consternunt terram, concusso stipite, frondes:
Ipsa haeret scopulis, et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas.
Mens immota manet: lacrimae volvuntur inanes.

II. *Narrationes.*

A. Historicae.

1.

Bellum Romanorum cum Albanis: certamen Hora-
tiorum et Curiatorum.

Narratio simplex. Aur. Vict. de vir. illust. 1.

Quum inter Romanos et Albanos bellum fuisset exor-
tum, ducibus Hostilio et Fuffetio, placuit rem paucorum
certatione finire. Erant apud Romanos trigemini Hora-
tii, tres apud Albanos Curiatii: quibus foedere icto occu-
rentibus, statim duo Romanorum ceciderunt, tres
Albanorum vulnerati. Unus Horatius, quamvis integer,
quia tribus impar erat, fugam simulavit, et singulos per
intervalla, ut vulnere dolor patiebatur, insequentes
interfecit. Et quum spoliis onustus rediret, sororem
obviam habuit, quae viso paludamento sponsi sui, qui
unus ex Curiatiis erat, flere coepit. Frater eam occi-
dit. Qua re apud Duumviros condemnatus, ad popu-
lum provocavit: ubi patriis lacrimis condonatus, ab

II. Narrationes. A. Histor. 1. Bell. Rom. cum Alb. 7
eo expiandi gratia sub tigillum missus, quod nunc quo-
que viae suppositum, Sororium appellatur.

Eadem narratio pragmatica.

Liv. L. I. c. 22. sqq.

Numae morte ad interregnum res rediit. Inde Tul-
lum Hostilium regem populus jussit. Patres auctores
facti a). Hic non solum proximo regi dissimilis, sed
ferocior etiam Romulo fuit. Senescere igitur civitatem
otio ratus, undique materiem excitandi belli quaerebat.
Forte evenit, ut agrestes Romani ex Albano agro, Al-
bani ex Romano praedas invicem agerent. Imperitabat
tum C. Cluilius Albae. Utrimque legati fere sub idem
tempus ad res repetendas missi. Tullus praeceperat
suis, ne quid prius, quam mandata, agerent; satis scie-
bat, negaturum Albanum; ita pie b) bellum indici posse.
Ab Albanis c) socordius res acta; excepti hospitio ab
Tullo blande ac benigne, comiter regis convivium ce-
lebrant. Tantisper Romani et res repetiverant priores,
et neganti Albano bellum in tricesimum diem indixe-
rant: haec renuntiant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi
potestatem, quid petentes venerint, facit. Illi, omni-
um ignari, primum purgando terunt tempus: *se invitos
quidquam, quod minus placeat Tullo, dicturos; sed im-
perio subigi; res repetitum se venisse; ni reddantur, bel-
lum indicere jussos.* Ad haec Tullus: *Nuntiate, inquit,
regi vestro, regem Romanum deos facere testes, uter prius
populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in
eum omnes expetant hujusce cladis belli.*

a) Senatus hanc electionem confirmarat.

b) ut videatur justum.

c) sc. legatis.

Haec nuntiant domum Albani. Et bellum utrimque
summa ope parabatur, civili simillimum bello, prope
inter parentes natosque, Trojanam utramque prolem,
quum Lavinium ab Troja, ab Lavinio Alba, ab Alba-
norum stirpe regum oriundi Romani essent. Eventus ta-
men belli minus miserabilem dimicationem fecit, quod
nec acie certatum est, et tectis modo dirutis alterius
urbis a), duo populi in unum confusi sunt. Albani
priores ingenti exercitu in agrum Romanum impetum
fecere; castra ab urbe haud plus quinque millia passuum
locant; fossa circumdant; fossa Cluilia ab nomine ducis
per aliquot secula adpellata est, donec cum re nomen
quo

quoque vetustate abolevit. In his castris Cluilius Albanus rex moritur; dictatoremque Albani Metium Fuffetium creant. Interim Tullus ferox, praecipue morte regis magnumque deorum numen, ab ipso capite orsum, in omne nomen Albanum expetitum poenas ob bellum impium dictitans, nocte praeteritis hostium castris, infesto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res ab stativis excivit Metium; ducit, quam proxime ad hostem potest: inde legatum praemissum nuntiare Tullo jubet: *Priusquam dimicent, opus esse colloquio: si secum congressus sit, satis scire, ea se allaturum, quae nihilo minus ad rem Romanam, quam ad Albae impertineant.* Haud aspernatus Tullus, tametsi vana adferebantur, in aciem educit. Exeunt contra et Albani. Postquam instructi utrimque stabant, cum paucis procerum in medium duces procedunt. Ibi infit Albanus: *Injurias et non redditas res ex foedere, quae repetitae sint, et ego regem nostrum Cluilium b) causam hujusce esse belli, audisse videor; nec te dubito, Tulle, eadem prae te ferre. Sed, si vera potius, quam dictu speciosa, dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat. Neque, recte an perperam, interpretor; fuerit ista ejus deliberatio, qui bellum suscepit. Me Albani gerendo bello ducem creavere. Illud te, Tulle, monitum velim: Etrusca res quanta circa nos teque maxime sit, quo propior es Etruscis, hoc magis scis. Multum illi terra, plurimum mari pollent. Memor esto, jam quum signum pugnae dabis, has duas acies spectaculo fore, ut fessos confectosque, simul victorem ac victum, adgrediantur. Itaque, si nos dii amant, quoniam non contenti libertate certa, in dubium imperii servitiique aleam imus, incamus aliquam viam, qua, utri utrisque imperent, sine magna clade sine multo sanguine utriusque populi, decerni possit.* Haud displicet res Tullo, quamquam tum indole animi, tum spe victoriae, ferocior erat. Quaerentibus utrimque ratio initur, cui et fortuna ipsa praebuit materiam.

a) Alba a Romanis eversa, et populus Albanus Romam abductus.

b) sc. prae se ferre.

forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres, nec aetate nec viribus dispares. Horatios Curatiosque fuisse, satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curatii fuerint. Auctores utroque trahunt; plures tamen invenio, qui Roma-

manos Horatios vocent: hos ut sequar, inclinat animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro, ibi imperium fore, unde victoria fuerit. Nihil recusatur; tempus et locus convenit. Priusquam dimicarent, foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cujusque populi cives eo certamine viciissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret.

Foedere icto, trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Quum sui utrosque adhortarentur: *Deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum nunc arma, illorum intueri manus*: feroces et suo pte ingenio, et pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrimque pro castris duo exercitus, periculi magis praesentis, quam curae expertes a): quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum: infestisque armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt, nec his, nec illis periculum suum, publicum imperium servitiumque observatur animo, futuraque ea deinde patriae fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpue-
re arma micantesque fulgere gladii, horror ingens spectantes perstringit: et neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque. Consectis deinde manibus, quum jam non motus tantum corporum agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent: duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. Ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox. Ergo, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus sequuturos, ut quemque vulnere adfectum corpus sineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, quum respiciens videt magnis intervallis sequentes; unum haud procul abesse: in eum magno impetu redit. Et, dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius, caeso hoste victor, secundam pugnam petebat: tum clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adjuvant
mi-

militem suum; et ille defungi proelio festinat. Prius itaque, quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit. Jamque, aequato Marte, singuli supererant; sed nec spe, nec viribus pares; alterum, intactum ferro corpus et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant; alter, fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage, victori objicitur hosti. Nec illud proelium *b)* fuit. Romanus exultans: *Duos, inquit, fratrum c) manibus dedi; tertium causae belli hujusce, ut Romanus Albano imperet, dabo.* Male sustinent arma gladium superne jugulo defigit; jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt; eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur; quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienae facti. Sepulchra exstant, quo quisque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romanam versus, sed distantia locis, et ut pugnatum est.

a) Licet periculi expertes ipsi forent, de communi tamen salute patriae erant solliciti.

b) Vix proelium videri poterat.

c) sc. meorum.

Priusquam inde digrederentur, roganti Metio, ex foedere icto quid imperaret, imperat Tullus, uti juventutem in armis habeat; usurum se eorum opera, si bellum cum Ventibus *a)* foret; ita exercitus inde domos abducti. Princeps Horatius ibat, trigemina spolia prae se gerens. Cui soror virgo, quae desponsa uni ex Curiatis fuerat, obviam ante portam Capenam fuit; cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum adpellat. Movet feroci juveni animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio simul verbis increpans, transigit puellam: *Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat, quaecumque Romana lugebit hostem.* Atrox visum id facinus Patribus plebique; sed recens meritum facto obstabat *b)*; tamen raptus in jus ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratiue ad vulgus iudicii, aut, secundum iudicium, supplicii auctor esset, concilio populi advocato: *Duum viros, inquit, qui Horatio perduellionem c) judicent secundum legem, facio.* Lex horrendi carminis *d)* erat:

Du-

*Duumviri perduellionem judicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato e): si vincent f), caput obnubito; infelici arbori g) recte suspendito: verberato vel intra pomoerium, vel extra pomoerium. Hac lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem h), posse, quum condemnassent: tum alter ex his: P. Horati, tibi perduellionem judico, inquit. Ilictor colliga manus. Accesserat lictor, injiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete: Provoco, inquit. Ita provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo judicio, maxime P. Horatio patre proclamante: *Se filiam jure caesam judicare: ni ita esset, patrio jure in filium animadversurum fuisse.* Orabat deinde, *ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent.* Inter haec senex, juvenem amplexus, spolia Curiatorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia adpellatur, ostentans: *Hunc cene, ajebat, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furcavinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I lictor, colliga manus, quae paulo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici suspende: verbera, vel intra pomoerium, modo inter illa pila et spolia hostium: vel extra pomoerium, modo intra sepulcra Curiatorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora cum a tanta foeditate supplicii vindicent? — Non tulit populus nec patris lacrimas, nec ipsius parem in omni periculo animum, absolveruntque admiratione magis virtutis, quam jure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is, quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmissio per viam tigillo, capite adoperto, velut sub jugum misit juvenem. Id hodie quoque publice semper reffectum manet. Sororium tigillum vocant. Horatiae sepulchrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.**

a) Veji, urbs in Hetruria, cum qua perpetua Romanis bella fuerant, usque dum a Camillo expugnaretur.

b) Recens Horatii meritum haud erat minus, quam caedis crimen.

c) Horatius perduellionis (eines Staatsverbrechens) reus habebatur, quia caede coram rege et populo patrata, utriusque majestatem laesisse videbatur.

- d) Carmen, i. e. formula.
 e) i. e. causa in iudicio publico a populo iudicetur.
 f) sc. duumviri.
 g) Infelix arbor pro patibulo vel cruce.
 h) Etiam si caedes non fuisset deliberata; quia jam perduellionis reus est habitus per decretum commissionis.

2.

C. Marcius Coriolanus.

Narratio simplex Eutrop. I. 13.

Octavo decimo a) anno post ejectos reges expulsus ex urbe Q. Marcius b), dux Romanorum (qui Coriolos cepit, Volscorum civitatem) ad ipsos Volscos contendit iratus, et auxilia contra Romanos accepit, Romanosque saepe c) vicit. Usque ad quintum milliarium urbis accessit, oppugnaturus etiam patriam, legatis, qui pacem petebant, repudiatis, nisi ad eum mater Veturia et uxor Volumentia ex urbe venissent: quarum fletu et deprecatione superatus, removit exercitum. Atque hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset.

- a) Potius anno decimo nono.
 b) Eutropius, memoria lapsus, Quintum Marcium dicit, quem omnes Cajum aut Gneum Marcium nominant.
 c) Multa Romanorum oppida cepit, sed sine proelio. *Lib. II. 39.*

Eadem narratio simplex.

Aur. Vict. de viris illust. 19.

Gneus (Cajus) Marcius, captis Coriolis, urbe Volscorum, Coriolanus dictus, ob egregia militiae facinora, a Posthumio optionem munerum accipiens a), equum tantum et hospitem sumpsit, virtutis et pietatis exemplum. Hic consul b), gravi annonae, advectum c) e Sicilia frumentum magno pretio dandum populo curavit; ut hac injuria plebs agros, non seditiones coleret. Ergo a Tribuno pleb. Decio die dicta, ad Volscos concessit; eosque duce Attio Tullo adversus Romanos concitavit, et ad quartum ab urbe lapidem castra posuit. Quumque nullis civium legationibus flecteretur, a Veturia matre, et Volumentia uxore, matronarum numero comitata, motus, omisso bello, ut proditor, occisus est. Ibi templum Fortunae muliebri constitutum est.

- a) Posthumius Cominius Cons. Marcio, in concione militum summis laudibus elato coronisque redimito, et equo, cum imperatoris insignibus: donato, permiserat, decem ut sibi corpora ex captivis eligeret, argenti autem, quantum ipse ferre posset, et ex reliqua praeda etiam praecleara multa, ut scribit Dionys. Halic. VI. 414. Plutarchus vero in vita Coriolani, Consulẽm decimam partem ex omni pecunia, equorum et hominum praeda Marcio obtulisse dicit.
- b) Consul non fuit Coriolanus. Nam petens consulatum repulsam tulerat. Et hanc maxime ob causam infensus plebi, auctor senatui fuerat, ne concederet plebi annonam veterem, nisi jus pristinum redderet illa partibus, quod secessione extortum esset.
- c) *Advehi* dicuntur res, quae navibus adportantur: *adduuntur* ut plurimum homines.

Eadem narratio pragmatica.

Liv. II. 34. sqq.

Quum et foris quieta omnia a bello essent, et domi sanata discordia, aliud multo gravius malum civitatem invasit: caritas primum annonae, ex incultis per secessionem plebis agris; fames deinde, qualis clausis solet. — Magna vis frumenti ex Sicilia advecta; agitatumque in senatu, quanti plebi daretur. Multi venisse tempus premendae plebis putabant, recuperandique jura, quae extorta, secessione ac vi, Patribus essent: in primis Marcius Coriolanus, hostis tribuniciae potestatis. „*Si annonam a), inquit, veterem volunt, jus pristinum reddant Patribus. Cur ego Plebejos magistratus, cur Sicinium b) potentem video, sub jugum missus c), tamquam a latronibus redemptus? Egone has indignitates diutius patiar, quam necesse est? Tarquinius regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, avocet plebem; patet via in Sacrum montem aliosque colles. Rapiant frumenta ex agris nostris, quemadmodum tertio anno d) rapuere. Utantur annonam, quam furore suo fecere e). Audeo dicere, hoc malo domitos, ipsos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant.*“

Et senatui nimis atrox visa sententia est, et plebem ira prope armavit. „*Fame se jam, sicut hostes, peti: cibo victuque fraudari: peregrinum frumentum, quae sola alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore rapti, nisi C. Marcio victi dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanae satisfiat. Eum sibi carnificem novum extortum, qui aut mori aut servire jubeat.*“ In exeuntem e curia impetus factus esset, nisi peropportu-

tunc tribuni diem dixissent. Ibi ira est suppressa. Se iudicem quisque, se dominum vitae necisque inimici factum videbat. Contentim primo Marcus audiebat minas tribunicias: *Auxilii, non poenae, jus datum illi potestati: plebisque, non Patrum, tribunos esse.* Sed adeo infensa erat coorta plebs, ut unius poena defungendum esset Patribus. Ipse quum die dicta non adesset, perseveratum in ira est. Damnatu absens, in Volscos exsulatum abiit, minitans patriae, hostilesque jam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benigne excepere, benigniusque in dies colebant, quo major ira in suos eminebat, crebraeque nunc querelae, nunc minae percipiebantur. Hospitio utebatur Attii Tulli. Longe is tum princeps Volsci nominis erat, Romanisque semper infestus. Ita quum alterum vetus odium, alterum ira recens stimulare, consilia conferunt de Romano bello. Haud facile credebant plebem suam impelli posse, ut toties infeliciter tentata arma caperent. Multis saepe bellis, pestilentia, postremo amissa juventute, fractos spiritus esse: arte agendum in exoleto jam vetustate odio, ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi.

a) Annonae pretium.

b) Auctor secessionis plebis a patribus, nunc tribunus plebis.

c) servi instar.

d) i. e. ante triennium.

e) Plebs agrorum culturam negligendo causa erat cari annonae pretii.

Ludi forte Magni a) Romae parabantur. — Ludi quam amplissimi ut fierent, senatus decrevit. Ad eos ludos, auctore Attio Tullo, vis magna Volscorum venit. Priusquam committerentur ludi, Tullus, ut domi compositum cum Marcio fuerat, ad consules venit: dicit esse, quae secreto agere de republica velit. Arbitris remotis: *Invitus (inquit), quod sequius b) sit, de meis civibus loquor. Non tamen admissum quidquam ab iis, criminatum venio, sed cautum, ne admittant. Nimio plus, quam velim, nostrorum ingenia sunt mobilia. Multis id cladibus sensimus: quippe qui non nostro merito, sed vestra patientia, incolumes simus. Magna hinc nunc Volscorum multitudo est. Ludi sunt. Spectaculo intenta civitas erit. Memini, quid per eandem occasionem ab Sabinorum juventute in hac urbe commissum sit. Horret animus, ne quid inconsulte ac temere fiat. Haec, nostra vestraque causa, prius dicenda vobis, consules, ratus sum. Quod ad me attinet, ex templo hinc domum abire in ani-*

animo est, ne cuius facti dictive contagione praesens violer. Haec loquutus abiit. Consules quum ad Patres rem dubiam sub auctore certo c) detulissent, auctor magis, ut fit, quam res, ad praecavendum vel ex supervacuo movit. Factoque senatus consulto, ut urbe excederet Volsci, praefones dimittuntur, qui omnes eos proficisci ante noctem juberent. Ingens pavor primo discurrentes ad suas res tollendas in hospitia perculit. Proficiscentibus deinde indignatio oborta: „*Se, ut consceleratos contaminatosque, ab ludis, festis diebus, coetu quodammodo hominum deorumque, abactos esse.*“

Quum prope continuato agmine irent, progressus Tullus, ut quisque venerit, primores eorum excipiens, querendo indignandoque, et eos ipsos sedulo audientes secunda d) irae verba, et per eos multitudinem aliam, in subjectum viae campum deduxit. Ibi in concionis modum orationem exorsus: „*Ut veteres populi Romani injurias, cladesque gentis Volscorum, ut omnia (inquit) obliviscimini alia, hodiernam hanc contumeliam quo tandem animo fertis, qua per nostram ignominiam ludos commiserere? An non sensistis, triumphatum hodie de vobis esse? vos omnibus civibus, peregrinis, tot finitimis populis, spectaculo abeuntes fuisse? vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum? Quid eos, qui audire vocem praekonis? quid, qui vos videre abeuntes? quid eos, qui huic ignominioso agmini fuere obvii, existimasse putatis? nisi, aliquod profecto nefas esse, quo, si intersimus spectaculo, violaturi simus ludos, piaculumque meritori: ideo nos ab sede piorum, coetu, concilioque abigi. Quid deinde? illud non succurrit, vivere nos, quod maturarimus proficisci? si hoc profectio, et non fuga est. Et hanc urbem vos non hostium ducitis, ubi, si unum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit? Bellum vobis indictum est; magno eorum malo, qui indixere, si viri estis.* Ita et sua sponte irarum pleni, et incitati, domos inde digressi sunt: instigandoque suos quisque populos effecere, ut omne Volscum nomen deficeret.

a) Ludi magni, seu Circenses etiam Romani dicti sunt, qui in circo maximo Romae habebantur.

b) i. e. minus rectum.

c) auctor certus, qui fide dignus est.

d) i. e. opportuna, ad commodata ad iram augendam.

Imperatores ad id bellum de omnium populorum sententia lecti Attius et C. Marcius exsul Romanus, in quo aliquanto plus a) spei repositum. Quam spem nequa-

quaquam fefellit, ut facile adpareret, ducibus validiorum, quam exercitu, rem Romanam esse. Circejos profectus, primum colonos inde Romanos expulit, liberamque eam urbem Volscis tradidit. Inde Lavinium recepit *b*): tunc deinceps Cōrbionem, Vitelliam, Trebiam, Lavicos, Pedum *c*) cepit. Postremum ad Urbem a Peto ducit *d*), et ad fossas Cluilias *e*) quinque ab urbe millia passuum castris positus, populatur inde agrum Romanum; custodibus inter populatores missis, qui patriciorum agros intactos servarent: sive infensus plebi magis, sive ut discordia inde inter Patres plebemque oriretur. Quae profecto orta esset: adeo tribuni jam ferocem per se plebem criminando in primores civitatis instigabant. Sed externus timor, maximum concordiae vinculum, quamvis suspectos infensosque inter se jungebat animos. Id modo non conveniebat, quod senatus consulesque nusquam alibi spem, quam in armis, ponebant: plebes omnia, quam bellum, malebat. Sp. Nautius jam et Sex. Furius consules erant. Eos, recentes legiones, praesidia per muros aliaque, in quibus stationes vigiliasque esse placuerat, loco distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit: deinde vocare senatum, referre de legatis ad C. Marcium mittendis coëgit. Acceperunt relationem Patres, postquam adparuit, labare plebis animos: missique de pace ad Marcium oratores atrox responsum retulerunt: „*Si Volscis ager redderetur f*), *posse agi de pace: si praeda belli per otium frui velent, memorem se et civium injuriae et hospitium beneficii, adnissurum, ut adpareat, exilio sibi irritatos, non fractos animos esse.*“ Iterum deinde iidem missi non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoque, suis insignibus velatos, isse supplices ad castra hostium, traditum est: nihilo magis quam legatos flexisse animum.

a) Sc. quam in Attio Tullo.

b) *Recepit* pro *cepit*; Lavinium enim non jam ante fuerat Volscorum.

c) Oppida Latii.

d) sc. exercitum.

e) Dictae a Cluilio, rege Albanorum.

f) Paulo ante Romani magnam partem agrorum Volscorum occuparant.

Tum matronae ad Veturiam matrem Coriolani, Volunniamque uxorem frequentes coeunt. Id publicum consilium; an muliebris timor fuerit; parum invenio.

Per:

Pervicere certe, ut et Veturia, magno natu mulier, et Volunnia, duos parvos ex Marcio ferens filios, secum in castra hostium irent: et, quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrimisque defenderent. Ubi ad castra ventum est, nuntiatumque Coriolano, adesse ingens mulierum agmen: in primo *a)* (ut qui nec publica majestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset) multo obstinatio adversus lacrimas mulieres erat. Dein familiarium quidam, qui insignem moestitia inter ceteras cognoverat Veturiam, inter nulum nepotesque stantem, „Nisi me frustrantur (inquit) oculi, mater tibi conjuxque et liberi adsunt.“ Coriolanus, prope ut amens, consternatus, absede sua quum ferret matri obviam complexum, mulier in iram ex precibus versa: „Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem, an ad filium, venerim: captiva maternè in castris tuis sim? In hoc me longa vita et infelix senectâ traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? non, quum in conspectu Roma fuit, succurrit: intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater, conjux, liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur; nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem. Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius quam mihi miserius *b)*, possum: nec ut sim *c)* miserima, diu futura sum. De his *d)* videris, quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet.“ Uxor deinde ac liberi amplexi; fletusque ab omni turba mulierum ortus, et comploratio sui patriaeque, fregere tandem virum. Complexus inde suos dimittit: ipse retro ab Urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, invidia rei oppressum periisse tradunt; alii alio leto. Apud Fabium *e)*, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio. Refert certe, hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem: „Multo miserius seni exilium esse.“

a) i. e. in principio.

b) i. e. etsi tristissima mihi accidant: tibi magis turpia, quam mihi misera erunt.

c) i. e. quamvis sim.

d) ac liberis tuis.

e) Fabius Pictor, antiquissimus rerum Romanarum scriptor, vixit belli Punici secundi tempore.

3.
Titi Manlii in parentem pietas.

Narratio simplex, Aur. Vict. de vir. illust. 28.

Titus Manlius Torquatus ob ingenii et linguae tarditatem a patre rus relegatus, quum audisset, ei diem dictum a Pomponio tribuno plebis, nocte Urbem petiit. Secretum colloquium a tribuno impetravit, et gladio stricto dimittere eum ad causationem terrore multo compulit. Sulpicio Dictatore tribunus militum Gallum provocatorem occidit. Torquem ei detractum cervici suae induit. Consul bello latino, filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos apud Nesperim fluvium Decii collegae devotione superavit. Consulatum recusavit, quod diceret: neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse sufferre *a*).

a) Errat Aurel. Victor. Noster enim saepe gessit consulatum. Id vero pertinet ad alium T. Manl. Torquatam, longo post tempore, bello punico secundo consulem creatum, v. Liv. XXVI. 22.

Eadem narratio simplex.

Cic. de off. III. 31.

Lucio Manlio, quum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus adpellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. Quod quum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri: adcurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui quum esset nuntiatum, quod illum iratum adlaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. At ille ut ingressus est, confestim gladium destrinxit, juravitque se illum statim interfectorum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit: docuit, cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit.

Eadem

Eadem narratio pragmatica.

Liv. VII. c. 4.

Q. Servilio Ahala, L. Genucio secundum Coss. dies Manlio dicitur a M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in delectu, non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis caesis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis invisita erat; et ante omnia invisum ipsum ingenium atrox, cognomenque *Imperiosi* grave liberae civitati, ab ostentatione saevitiae adscitum; quam non magis in alienis, quam in proximis, ac sanguine ipso suo exerceret. Criminique ei tributus inter cetera dabat, quod filium juvenem nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu aequalium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem, atque in ergastulum dederit; ubi summo loco natus dictatorius juvenis quotidiana miseria disceret, vere imperioso patre se natum esse. At quam ob noxam? quia infacundior sit, et lingua impromptus. Quod naturae damnum utrum nutriendum patri (si quidquam in eo humani esset), an castigandum, ac vexatione insigne faciendum fuisse? Ne mutas quidem bestias minus alere, ac fovere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit. At, Hercle, L. Manlium, malum malo augere filii, et tarditatem ingenii insuper premere, et si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vita agresti, et rustico cultu, inter pecudes habendo. Omnium potius his criminationibus, quam ipsius juvenis, irritatus est animus: quin contra, se quoque parenti causam invidiae atque criminum esse aegre passus; ut omnes dii hominesque scirent, se parenti opem latam, quam inimicis ejus malle; capit consilium rudis quidem atque agrestis animi, et quamquam, non civilis exempli, tamen pietate laudabile. Inscientibus cunctis cultro succinctus, mane in urbem atque a porta domum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit: janitori, opus esse sibi domino ejus convento extemplo, ait: nuntiaret, T. Manlium Lucii filium esse. Mox introductus (etenim percitum ira in patrem spes erat, aut criminis aliquid novi, aut consilii ad rem ageam deferre) salute accepta, redditaque, esse ait, quae cum eo agere arbitris remotis velit. Procul inde omnibus abire jussis, cultrum stringit: et super lectum stans, ferro intento, nisi, in quae ipse coepisset verba, jura-

ret, se patris ejus adcusandi causa concilium plebis numquam habiturum; se eum extemplo transfixurum minatur. Pavidus tribunus (quippe qui ferrum ante oculos micare, se solum inermem, illum praevalidum juvenem, et quod haud minus timendum erat, stolide ferocem viribus suis cerneret) adjurat, in quae adactus est verba, et prae se deinde tulit, ea vi subactum se incepto destitisse. Nec perinde, ut maluisset plebes, sibi suffragii ferendi de tam crudeli et superbo reo potestatem fieri, ita aegre habuit, filium id pro parente ausum: eoque id laudabilis erat, quod animum ejus tanta acerbitas patria nihil a pietate avertisset. Itaque non patri modo remissa causae dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit. Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam et antea, sicut nunc, quos Rufulos *a*) vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiaeque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui rure, et procul coetu hominum juventam egisset.

a) Tribuni militum a consule lecti, teste Festo, dicti sunt *Rufuli* vel *Rutuli*, quia Rutilius Rufus de horum tribunorum juribus legem tulerat.

4.

Hannibalis a Fabio conclusi mirabile commentum ad evadendum.

Narratio simplex. Corn. N. in vita Hannibalis c. 5.

Hac pugna (*ad Cannas*) pugnata, Romam profectus est nullo resistente: in propinquis urbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, et reverteretur Capuam, Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno ei se objecit. Hinc, clausus locorum angustiis, noctu sine ullo detrimento exercitus se expedit. Fabio, callidissimo imperatori, dedit verba: namque obducta nocte sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus.

Eadem

Eadem narratio pragmatica.

Liv. XXII. c. 16.

Inclusus videbatur Hannibal, via ad Casilinum obsessa: quum Capua et Samnium, et tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret; Poenus contra intra Formiana saxa, ac Literni a) arenas, stagnaque perhorrida situ, hibernaturus esset. Nec Hannibalem fefellit suis se artibus peti. Itaque quum per Casilinum evadere non posset, petendique montes, et jugum Caillulae superandum esset, nec ubi Romanus inclusum valibus agmen adgrederetur: ludibrium oculorum specie terribile ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilii talis adparatus fuit. Faces undique ex agris collectae, fascisque virgarum atque arida sarmenta praeligantur cornibus boum, quos domitos, indomitosque multos inter ceteram agrestem praedam agebat. Ad duo millia ferme boum effecta. Hasdrubalique negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, maxime, si posset, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra: boves aliquanto ante signa acti. Ubi ad radices montium, viasque angustas ventum est: signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adverso concitentur montes: et metus ipse relucentis flammae ex capite, calorque jam ad vivum, ad imaque cornuum adveniens, velut stimulos furore agebat boves. Quo repente discursu haud secus quam silvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere, capitumque irrita quassatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem praebebat. Qui ad transitum saltus insidendum locati erant, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati, praesidio excessere, qua minime densae emicabant flammae, velut tutissimum iter, petentes summa montium juga. Tamen in quosdam boves palatos a suis gregibus inciderunt: et primo, quum procul cernerent, veluti flammam spirantium miraculo attoniti constiterunt. Deinde ut humana adparuit fraus, tum vero insidias rati esse, cum majore quoque metu concitant se in fugam, levi quoque armaturae hostium incurrere. Ceterum nox aequato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine Hannibal
tra-

traducto per saltum et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis in agro Allifano posuit castra.

a) Casilinum et Capua urbes in Campania; Samnium, regio inter Campaniam et Pelignos; Formiae ad fines Campaniae; Linternum in Campania ad mare Hetruscum; Callicula prope Casilinum mons in Campania; Allifae, urbs Samnii ad Vulturum fluvium.

5.

Romae post cladem ad Trasimenum a) consternatio.

Liv. XXII. c. 7.

Romae ad primum nuntium cladis ejus cum ingent terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronae vagae per vias, quae repens clades allata, quaeve fortuna exercitus esset, obvios percunctantur. Et quum frequentis concionis modo turba in comitium et curiam versa magistratus vocaret: tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor: *Pugna*, inquit, *magna victi sumus*. Et quamquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt: consulem cum magna parte copiarum caesum: superesse paucos, aut fuga passim per Hetruriam sparsos, aut captos ab hoste. Quot casus exercitus victi fuerant, tot in curas dispersiti eorum animi erant, quorum propinqui sub C. Flaminio Cos. meruerant, ignorantium, quae cujusque suorum fortuna esset. Nec quisquam satis certum habet, quid aut speret, aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus, ad portas major prope mulierum, quam virorum multitudo stetit, aut suorum aliquem, aut nuntios de his opperiens; circumfundebanturque obviis sciscitantes, neque avelli utique a notis, priusquam ordine omnia inquisissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneret; ut cuique aut laeta, aut tristia nuntiabantur; gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praecipue, et gaudia insignia erant, et luctus. Unam in ipsa porta, sospite filio repente oblato, in conspectu ejus exspirasse ferunt: alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, moestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. Senatum praetores per dies aliquot ab ortu usque ad occidentem solem in curia retinent, consul-

sultantes, quonam duce, aut quibus copiis resisti victoribus Poenis posset.

a) Lacus Trasimenus in Hetruria, hodie, *Lago di Perugia.*

6.

Hannibalis Capuae inter epulas periculum.

Livius XXIII. c. 7.

Hannibal ingressus urbem, senatum extemplo postulat, precantibusque inde primoribus Campanorum, ne quid eo dieseriae rei gereret, diemque ut ipse adventu suo festum laetus ac libens celebraret: quamquam praeceps ingenio in iram erat, tamen ne quid in principio negaret, visenda urbe magnam diei partem consumsit. Deversatus est apud Minios Celeres, Stenium Pacuviumque, inclitos nobilitate ac divitiis. Eo Pacuvius Calavius, princeps factionis ejus, quae attraxerat rem ad Poenos, filium juvenem adduxit, abstractum abs Decii Magii latere, cum quo ferocissime pro Romana Societate adversus Punicum foedus steterat: nec eum aut inclinata in partem alteram civitas, aut patria majestas sententia depulerat. Huic tum pater juveni Hannibalem deprecando magis quam purgando placavit; victusque patris precibus lacrimisque, etiam ad coenam eum cum patre vocari jussit: cui convivio neminem Campanum, praeterquam hospites, Jubelliumque Tauream, insignem bello virum, adhibiturus erat. Coeperunt epulari de die, et convivium non ex more Punico, aut militari disciplina esse: sed ut in civitate, atque etiam domo luxuriosa, omnibus voluptatum illecebris instructum. Unus nec Dominorum invitatione, nec ipsius interdum Hannibalis, Calavii filius Perolla vinci potuit: ipse valetudinem excusans, patre animi quoque ejus haud mirabilem interturbationem causante. Solis ferme occasu patrem Calavium ex convivio egressum sequutus filius, ubi in secretum (hortus erat posticis aedium partibus) pervenerunt: *Consilium inquit, adfero, pater, quo non veniam solum peccati, quod defecimus ad Hannibalem, impetraturi ab Romanis: sed in multo majore dignitate et gratia simus Campani, quam unquam fuimus.* Quum mirabundus pater, quidnam id esset consilii, quaereret, toga rejecta ab humero, latus succinctum gladio nudat: *Jam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam Romanum foedus. Te id*
pri-

prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratum, mallet. Quae ubi vidit, audivitque senex, velut si jam agendis, quae audiebat, interesset, amens metu: Per ego te, inquit, fili, quaecunque jura liberos jungunt parentibus, precor, quae soque, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. Paucae horae sunt, intra quas, jurantes per quidquid deorum est, dextrae dextras jungentes, fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis essemus; digressi ab colloquio, ex templo in eum armaremur? Surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Hannibale es, ut eam ipsam cruentares hospitis sanguine? Hannibalem modo pater filio meo potui placare, filium Hannibali non possum? Sed sit nihil sancti, non fides, non religio, non pietas; audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere adferunt. Unus aggressurus es Hannibalem? Quid illa turba tot liberorum servorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextrae? torpescentne in amentia illa? Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? Et alia auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigendusque est. Deterreri te hic sine potius, quam illic vinci. Valeant preces apud te meae, sicut pro te hodie valuerunt. Lacrimantem inde juvenem cernens, medium complectitur, atque osculo haerens, non ante precibus abstinit, quam pervicit, ut gladium poneret, fidemque daret, nihil facturum tale. Tum juvenis: Ego quidem, inquit, quam patriae debeo pietatem, exsolvam patri. Tuam doleo vicem, cui ter proditae sustinendum est crimen, semel quum defectio nis ab Romanis; iterum, quum pacis cum Hannibale fuisti auctor; tertio hodie, quum restituendae Romanis Capuae mora atque impedimentum es. Tu patria, ferrum, quo pro te armatus hanc arcem inii, a) et hostem ultum volebam, quando parens extorquet, recipe. Haec quum dixisset, gladium in publicum trans maceriam horti abjecit, et quo minus res suspecta esset, se ipse convivio reddidit.

a) Domum, in qua Hannibal habitabat.

7.

Romae origo, incrementum, depravatio.

Sall. in bello Cat. 6—13.

Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Aenea duce, profugi

se-

sedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitimi bello tentare, pauci ex amicis auxilio esse. Nam ceteri, metu percussi, a periculis aberant. At Romani, domi militiaeque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. Post ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant; imperium legitimum, nomen imperii regum habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicae consultabant. Hi vel aetate, vel curae similitudine PATRES adpellabantur. Post, ubi regum imperium, quod initio conservandae libertatis, atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convertit; immutato more annua imperia, binosque imperatores sibi fecere. Eo modo minime posse putabant per licentiam inolescere animum humanum.

Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere, magisque ingenium in promptu habere. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit. Tanta cupido gloriae incesserat. Jam primum juventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris per usum militiam discebat, magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in conviviis lubidinem habebat. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat. Sese quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, cum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant: laudis avidi; pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Ro-

manus parva manu fuderit; quas urbes natura munitas pugnando ceperit; ni ea res longius nos ab incepto traheret.

Sed profecto fortuna in omni re dominatur. Ea res cunctas, ex lubricitate magis, quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestæ sicuti ego aestumo, satis amplæ, magnificæque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenire ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere præclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat. Ingenium nemo sine corpore exercebat. Optumus quisque facere quam dicere; sua ab aliis benefacta laudari quam ipse aliorum narrare, malebat.

Igitur domi militiaeque boni mores colebantur. Concordia maxima, minima avaritia erat. Jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat. Jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. In supplicii Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta hæc habeo, quod sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, qui que tardius, revocati, bello excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant: in pace vero beneficiis magis quam metu imperium agitabant; et, accepta injuria, ignoscere, quam persequi, malebant.

Sed ubi labore atque justitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti; Carthago, aemula imperii Romani, ab stirpe interiit; cuncta maria, terræque patebant: saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, deinde imperii cupido crevit. Ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos

negligere, omnia venalia habere, edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo, aestumare; magisque vultum, quam ingenium bonum, habere; haec primo paullatim crescere, interdum vindicari. Post, ubi contagio, quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex justissimo atque optumo crudele intolerandumque factum.

Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus aequè sibi exoptant. Sed illa vera via nititur; huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: semper infinita, insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur. Sed, postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere, neque modum, neque modestiam victores habere; foeda, crudeliaque in civibus facinora facere; huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asiam ductaverat, quo sibi fidem faceret, contra morem majorum, luxuriose, nimisque liberaliter habuerat; loca amoena, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliyerant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani potare; signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant: ne illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.

Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi, neque moderati habere. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri majores,

religiosissimi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos sua gloria decorabant, neque victis quidquam, praeter injuriae licentiam, eripiebant. At hi contra ignavissimi homines, per summum scelus, omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores hostibus reliquerant: proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

Nam quid ea memorem, quae, nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt; a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse. Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed libido nimii cultus maxima incesserat; vescendi causa, terra marique omnia exquirere: dormire prius, quam somni cupido esset; non famem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus, haud facile lubricinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumtui deditus erat.

8.

Capsa, urbs Numidiae munitissima, capitur.

Sall. in bello Jug. c. 89. 90. 91.

Erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa: cujus conditor Hercules Libys memorabatur. Ejus cives apud Jugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissimi habebantur: muniti adversum hostes non moenibus modo, et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam, praeter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus: quarum vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perniciose, siti magis quam alia re accenditur. Ejus potiundi Marium maxuma cupido invaserat, quum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur. Et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque: nisi quod apud Thalam haud longe a moenibus aliquot fontes erant; Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, jugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, quae

8. *Capsa, urbs Numidiae munitissima, capitur. 29*

quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidiae plerumque lacte et ferina carne vescerantur, neque salem, neque alia irritamenta gulae quaerebant: cibus illis adversum famem atque sitim, non lubricitati neque luxuriae, erat.

Igitur Consul omnibus exploratis, credo, Dis fretus (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat: quippe etiam frumenti inopia tentabatur; quod Numidiae pabulo pecoris magis quam arvo student, et quodcumque natum fuerat, jussu regis in loca munita contulerant; ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam aestatis extremum erat), tamen pro rei copia satis providenter exornat: pecus omne, quod superioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum attribuit: A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire jubet, *se praedabundum post paucos dies eodem venturum*. Sic incepto suo occulto pergit ad flumen Tanam.

Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas, aequaliter distribuerat, et, ex coriis utres uti fierent, curabat: simul et inopiam frumenti lenire, et ignaris omnibus, parare, quae mox usui forent. Denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxima vis utrius effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egredierentur, paratos esse jubet; omnibus sarcinis abjectis, aqua modo seque et jumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur, noctemque totam itinere facto, consedit. Idem proxima fecit. Dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumultuosum, ab Caspa non amplius duum millium intervallo: ibique, quam occultissime potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidiae, nihil hostile metuentes, multi oppido egressi, repente omnem equitatum, et cum his velocissimos pedites cursu tendere ad Capsam, et portas obsidere jubet: deinde ipse intentus propere sequi, neque milites praedari sinere. Quae postquam oppidani cognoverunt, res terribiles, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate, coegere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum: Numidiae puberes interfecti; alii omnes venum dati: praeda militibus divisa. Id facinus contra jus belli, non
ava-

avaritia, neque scelere Consulis admissum: sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis: genus hominum mobile, infidum, neque beneficio, neque metu coercitum.

9.

Alexandri M. morbus et curatio.

Curt. III. c. 5. 6.

Mediam (*Tarson*) Cydnus amnis, de quo paullo ante dictum est, interfuit, et tunc aestas erat, cujus calor non aliam magis quam Ciliciae oram vapore solis accendit, et diei fervidissimum tempus coeperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi ac parabili cultu corporis se esse contentum) descendit in flumen. Vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Expirantis similem ministri manu excipiunt, nec satis competentem mentis, in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, et paene jam luctus in castris erat. Flentes querebantur: *In tanto impetu cursuque rerum, omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste dejectum; sed abluentem aqua corpus ereptum esse et extinctum. Instare Darium, victorem antequam vidisset hostem. Sibi easdem terras, quas victores peragrassent, repetendas. Omnia aut ipsos, aut hostes populatos. Per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes, fame, atque inopia debellari posse. Quom signum daturum fugientibus, quem ausurum Alexandro succedere? Jam ut ad Hellespontum fuga penetrarent; classem, qua transeant, quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia versa; illum florem juventae, illam vim animi, eundem regem, et commilitonem, divelli a se, et abripi, immemores sui querebantur.*

Inter haec liberius meare spiritus coeperat, allevabat rex oculos, et paulatim redeunte animo circumstantes amicos cognoverat, laxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animum autem aegritudo corporis urgebat; quippe Darium quinto die in Cilicia fore nuntiabatur. Victum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi e manibus, obscuraque, et ignobili morte in tabernaculo suo extingui se

que-

querebatur. Admissisque amicis pariter, et medicis: *In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, et qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo, quum tam superbus literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequidquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia, et segnes medicos non expetunt tempora mea; vel mori strenue, quam tarde convalescere mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est: sciant, me non tam mortis, quam belli remedium quaerere.*

Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas ejus. Ergo pro se quisque precari coepere, ne festinatione periculum augetet, sed esset in potestate medentium: inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius pecunia sollicitaret hostis (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiarı jusserat). Itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

Erat inter nobiles medicos e Macedonia regem sequutus Philippus natione Acarnan, fidus admodum regi: puero comes, et custos salutis datus: qui eum non ut regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat. Is non praeceps se, sed strenuum remedium adferre tantamque vim morbi potionem medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, praeter ipsum, cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius quam moram perpeti poterat: arma et acies in oculis erant, et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertiam medicamentum sumturus esset (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens. Inter haec a Parmenione, fidissimo purpuratorum, literas accipit, quibus ei denuntiabat, ne salutem suam Philippo committeret, mille talentis a Dario, et spe nuptiarum sororis ejus corruptum.

Ingentem animo sollicitudinem literae incusserant: et quidquid in utramque partem aut metus, aut spes subjecerat, secreta aestimatione pensabat: *Bibere per se verem? Ut si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quidquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere, quam metu meo. Diu animo in diversa*

versato, nulli, quid scriptum esset, enuntiat, epistolamque, sigillo annuli sui impressam, pulvino, cui incumbebat, subjicit. Inter has cogitationes biduo absumto, illuxit a medico destinatus dies; et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam a Parmenione missam sinistra manu tenens accipit poculum, et haurit interritus: tum epistolam Philippum legere jubet, nec a vultu legentis movit oculos, ratus, aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendere.

Ille, epistola perlecta, plus indignationis, quam pavoris ostendit; projectisque amiculo, et literis ante lectum: *Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur. Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet: servatus a me vitam mihi dederis, oro quaesoque; amissoque metu, patere medicamentum concipi venis: laxa paullisper animum, quem intempestiva sollicitudine amici sane fideles, sed moleste seduli turbant.* Non securum modo haec vox, sed etiam laetum regem, ac plenum bonae spei fecit. Itaque, *Si dii, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluisses, sed certiore, quam expertus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi; et nunc credo, te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse sollicitum.* Haec eloquutus dextram Philippo offert.

Ceterum tanta vis medicaminis fuit, ut quae sequuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus spiritus arcte meabat, nec Philippus quidquam inexpertum omisit: ille fomenta corpori admovit, ille torpentem, nunc cibi, nunc vini odore excitavit. Atque ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris, sororumque, modo tantae victoriae adpropinquantis admonere non destitit. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit; primo animus vigorem suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperavit: quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum regem, quam Philippum intuebatur exercitus, pro se quisque dextram ejus amplexi grates habebant, velut praesenti Deo; namque haud facile dictu est, praeter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum hujus quoque

regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagrauerint.

Jam primum nihil nisi divina ope adgredi videbatur; nam quum esset praesto ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat. Aetas quoque, vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam ejus opera honestabat. Et quae leviora haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paullulum a privato abhorrens, militaris vigor: quis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

16.

*Abdolonimus creatus rex.**Curt. IV. c. 1.*

Ipse in Phoenicem deinde descendit, et oppidum Byblon traditum recepit. Inde ad Sidonam ventum est, urbem vetustate, fama quoque conditorum inclitam. Regnabat in ea Strato, Darii opibus adjutus; sed quia deditio nem magis popularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus; Hephaestionique permissum, ut quem eo fastigio Sidones dignissimum arbitrarentur, constitueret regem. Erant Hephaestioni hospites, clari inter suos juvenes, qui, facta ipsis potestate regnandi, negaverunt, *quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum.* Admiratus Hephaestio magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes, ferrumque peterent: *Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quanto majus esset, regnum fastidire, quam accipere. Ceterum date aliquem regiae stirpis, qui meminerit a vobis acceptum habere se regnum.*

At illi, quum multos imminere tantae spei cernerent, singulis amicorum Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantes, statuunt: *neminem esse potio rem, quam Abdolonimum quemdam, longa quidem cognatione stirpis regiae adnexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe.* Causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat; intentusque operi diurno, strepitem armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subito deinde, de quibus ante dictum est, cum regiae vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens, Abdolonimus repurgabat. Tunc rege eo salutato, alter ex his: *Habitus, inquit, hic, quem cernis in*

meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus illuvie aeternisque sordibus squalidum, eape regis animum, et in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer. Et quum in regali solio residebis, vitae necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris hujus status, in quo accipis regnum, imo, hercule, propter quem.

Somnio similis res Abdolonimo videbatur. Interdum, *satisne sani essent, qui tam proterve sibi illuderent, percunctabatur.* Sed ut cunctanti squalor ablutus est, et injecta vestis, purpura auroque distincta, et fides a jurantibus facta: serio jam rex, iisdem comitantibus, in regiam pervenit. Fama, ut solet, strenue tota urbe discurrit: aliorum sudium, aliorum indignatio eminebat: ditissimus quisque humilitatem, inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum rex protinus jussit, diuque contemplatus: *Corporis, inquit, habitus famae generis non repugnat, sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris.* Tum ille: *Utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim; haec manus suffecere desiderio meo. Nihil habenti, nihil defuit.*

Magnae indolis specimen ex hoc sermone Abdolonimi cepit. Itaque non Stratonis modo regiam supellecilem attribui ei jussit; sed pleraque etiam ex Persica praeda: regionem quoque urbi adpositam dictioni ejus adjecit.

11.

Petrae expugnatio.

Curt. VII. c. 11.

Cetera quidem pacaverat rex. Una erat Petra, quam Arimazes Sogdianus cum XXX millibus armatorum obtinebat; alimentis ante congestis, quae tantae multitudini vel per biennium suppeterent. Petra in altitudinem XXX eminet stadia, circuitu C et L complectitur, undique abscissa, et abrupta, semita perangusta aditur. In medio altitudinis spatio habet specum, cujus os arcum, et obscurum est; paullatim deinde ulteriora panduntur: ultima etiam altos recessus habent: fontes per totum fere specum manant, e quibus collatae aquae per prona montis flumen emittunt.

Rex, loci difficultate spectata, statuerat inde abire; cupido deinde incessit animo, naturam quoque fatigandi. Prius tamen quam fortunam obsidionis experiretur,

Cophan (Artabazi hic filius erat), misit ad barbaros, qui suaderet, ut dederent rupem, Arimazes loco fretus superbe multa respondit. Ad ultimum: *an Alexander volare possit?* interrogat. Quae nuntiata regi, sic accendere animum, ut adhibitis, cum quibus consultare erat solitus, indicaret insolentiam barbari eludentis ipsos, quia pennas non haberent. *Se autem proxima nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam volare.* Trecentos, inquit, *pernicissimos juvenes ex suis quisque copiis perducite ad me, qui per valles et paene invias rupes domi pecora agere consueverint.* Illi praestantes et levitate corporum, et ardore animorum strenue adducunt; quos intuens Rex: *Vobiscum*, inquit, *o juvenes, et mei aequales, urbium invictarum ante munimenta superavi, montium juga, perenni nive obruta, emensus sum, angustias Ciliciae intravi, Indiae sine lassitudine vim frigoris sumperpessus. Et mei documenta vobis dedi, et vestri habeo. Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem barbari obsident: cetera negligunt: nullae vigiliae sunt, nisi quae castra nostra spectant. Invenietis viam, si solerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo quas ceteri desperaverunt, Asiam habemus in potestate. Evadite in cacumen, quod, quum ceperitis, candidis velis signum mihi dabit. Ego copiis admotis hostem in nos a vobis convertam. Praemium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta *X*; uno minus accipiet qui proximus ei venerit; eademque ad decem homines servabitur portio. Certum autem habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem.* His animis regem audierunt, ut jam cepisse verticem viderentur. Dinrissique ferreos cuneos, quos inter saxa defigerent, validosque funes parabant. Rex circumvectus petram, qua minime asper ac praeruptus aditus videbatur; secunda vigilia, quod bene verteret, ingredi jubet. Illi alimentis in biduum sumtis, gladiis modo atque hastis armati subire coeperunt. Ac primo pedibus ingressi sunt; deinde utin praerupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi levare semet; alii adjectis funium laqueis evasere, quum cuneos inter saxa defigerent, quos gradus subinde insisterent. Diem inter metum laboremque consumserunt. Per aspera enixis duriora restabant, et crescere altitudo petrae videbatur. Illa vero miserabilis erat facies, quum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex praecipiti devolverentur:

mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris adfecti, quidam mulctati parte membrorum, pariterque eos et nox et somnus oppressit. Stratis passim corporibus in inviis et asperis saxorum, periculi instantis obli-
 ti in lucem quieverunt: tandemque, velut ex alto sopore excitati, occultas, subjectasque ipsis valles rimantes, ignari, in qua parte petrae tanta vis hostium condita esset, fumum specus infra seipsos evolutum notaverunt. Ex quo intellectum est, illam hostium latebram esse. Itaque hastis imposuere, quod convenerat, signum: totoque e numero duos et XXX in adscensu interiisse cognoscunt.

Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit, noctu demum quum obscuritas conspectum oculorum ademisset, ad curandum corpus recessit.

Postero die nondum satis clara luce primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas caeli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito. Verum ut liquidior lux adparuit caelo, dubitatio exempta est; vocatumque Cophan, per quem barbarorum animos tentaverat, mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent: sin autem fiducia loci perseverarent, ostendi a tergo jussit, qui ceperant verticem.

Cophas admissus suadere coepit Arimazi, petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione haerere non coëgisset. Ille ferocius superbiusque quam antea loquutus, abire Cophan jubet. At is prehensum manu barbarum rogat, ut secum extra specum prodeat; quo impetrato juvenes in cacumine ostendit, ejusque superbiae haud immerito illudens: *Pennas, ait, habere milites Alexandri.* Jamque a Macedonum castris signorum concentus, et totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, sicut pleraque belli vana, et inanã, barbaros ad deditiõnem traxit: quippe occupati metu, paucitatem eorum, qui a tergo erant, aestimare non poterant. Itaque Cophan (nam trepidantes reliquerat) strenue revocant; et cum eo XXX principes mittunt, qui petram tradant, et ut incolumibus abire liceat, paciscantur.

B. Oratoriae.

1.

Milo et Clodius.

Cic. orat. pro Milone. c. 10.

Milo, quum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit, calceos et vestimenta mutavit, paullisper, dum sese uxor (ut fit) comparat, commoratus est. Deinde profectus est id temporis, quum jam Clodius, siquidem eo die Roman venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus ut solebat; sine uxore, quod nunquam fere: quum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam adparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum ejus, hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiori impetum; adversi rhedarium occidunt. Quum autem hic de rheda, rejecta paenula, desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc jam interfectum putarent, caedere incipiunt ejus servos, qui post erant, ex quibus, qui animo fideli in dominum erant, et praesentes fuerunt, partim occisi sunt, partim quum ad rhedam pugnari viderent, et domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, et ita esse putarent: fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset. Haec sicut exposui, ita gesta sunt, judices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est.

Verris, Siciliae Praetoris, crudelitas et rapinae.

Cic. in Verr. Lib. V. c. 61. 62. 66.

P. Gavius Cosanus *a*) municeps, quum a Verre in vincula coniectus esset, et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset, Messanamque venisset; loqui Messanae coepit, et queri, se civem Romanum in vincula esse coniectum: sibi recta iter esse Romam: Verri se praesto advenienti futurum. Non intelligebat miser, nihil interesse, utrum haec Messanae, an apud ipsum in praetorio loqueretur. Nam hanc sibi Verres urbem delegerat, quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. Itaque ad magistratum Mamertinum *b*) statim deducitur Gavius; eoque ipso die casu Messanam venit Verres. Res ad eum defertur, esse civem Romanum, qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur, quem jam ingredientem navem, et Verri nimis atrociter minitantem, a se retractum esse et adservatum, ut ipse in eum statueret, quod videretur. Agit hominibus gratias, et eorum erga se benevolentiam diligentiamque collaudat. Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi; toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: quum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, et virgas expediri jubet. Clamabat ille miser, se civem esse Romanum, municipem Cosanum: meruisse se cum L. Pretio, splendidissimo equite Romano, qui Panormi negotiaretur: ex quo haec Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitivorum esse missum: cujus rei neque index, neque vestigium aliquod, neque suscipio cuiquam esset ulla. Deinde jubet undique hominem vehementissime verberari. Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, quum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem crepitumque plagarum, audiebatur, nisi haec: CIVIS ROMANUS SUM. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitratur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur: sed, quum imploraret saepius usurparetque nomen civi-

tatis, crux infelici et aerumnoso comparabatur. Et quum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem, jussit Verres in ea parte figere, quae ad fretum spectaret: et hoc addidit, se idcirco illum locum deligere, ut ille, qui se civem Romanum esse diceret, ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset.

- a) Cosa, Romanorum Colonia in Hetruria.
 b) Mamertini, occupata Messana, hodie Messina, urbe ad fretum Siculum, nomen Mamertinorum incolis dederunt.

Cic. in Verr. Lib. IV. c. 33. 34.

Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Aenea fugiente a Troja, atque in haec loca veniente, conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognitione se cum populo Romano conjunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, quum illa civitas cum Poenis suo nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginensibus vi captum atque deletum est: omniaque, quae ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. Fuit apud Segestanos ex aere simulacrum Dianae, quum summa atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem, locum tantum hominesque mutarat; religionem quidem pristinam conservabat. Nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, videbatur. Aliquot seculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit; qua in victoria convocatis Siculis omnibus, quod diutissime saepissimeque Siciliam vexatam a Carthaginensibus cognorat, jubet omnia conquiri: pollicetur, sibi magnae curae fore, ut omnia civitatibus, quae cujusque fuissent, restituerentur. Tum illa, quae quondam fuerant Himera sublata a), Thermitanis sunt redditum alia Gelensibus, alia Agrigentinis: in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos, supplicii causa, demittere homines, et subjicere flammam solebat. Quem taurum Scipio quum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur: aequum esse, illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suisne servire, an populo Romano obtemperare; quum idem monumentum et domesticae cru-

crudelitatis et nostrae mansuetudinis haberent. Illo tempore Segestanis maxima cum cura haec ipsa Diana, de qua dicimus, redditur; reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et laetitia reponitur. Haec erat posita Segestae sane excelsa in basi: in qua grandibus literis P. AFRICANI nomen erat incisum, eumque CARTHAGINE CAPTA RESTITUISSE, perscriptum. Colebatur a civibus, ab omnibus advenis visebatur. Quum quaestor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola; verum tamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem praeferebat. Hanc quum Verres, sacrorum omnium hostis religionumque praedo, vidisset: quasi illa ipsa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia coepit. Imperat magistratibus iste, ut eam demoliantur et sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. Illi vero dicere, id sibi nefas esse, seque quum summa religione, tum summo metu legum et iudiciorum teneri. Iste tum petere ab illis, tum minari; tum spem, tum metum ostendere. Opponebant illi interdum nomen Africani: donum populi Romani illud esse dicebant: nihil se in eo potestatis habere, quod imperator clarissimus, urbe hostium capta monumentum victoriae populi Romani esse voluisset. Quum iste nihilo remissius, atque etiam multo vehementius instaret quotidie: res agitur in senatu. Vehementer ab omnibus reclamatur. Itaque illo tempore, ac primo istius adventu, pernegatur. Postea, quidquid erat oneris, in nautis remigibusque exigendis, in frumento imperando, Segestanis, praeter ceteros, imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent. Praeterea magistratus eorum evocabat; optimum quemque et nobilissimum ad se arcessebat; circum omnia provinciae fora rapiebat: singillatim unicuique calamitati fore se denuntiabat, universam se funditus illam eversurum esse civitatem minabatur. Itaque aliquando multis malis magnoque metu victi Segestani praetoris imperio parendum esse decreverunt. Magno cum luctu, et gemitu totius civitatis, multis cum lacrimis et lamentatione virorum mulierumque omnium, simulacrum Dianae tollendum locatur. Videte, quanta religio fuerit apud Segestanos. Repertum esse, iudices, scitote neminem, neque

que liberum neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Barbaros quosdam Lylibaeo *b)* scitote adductos esse operarios. Hi denique illud, ignari totius negotii et religionis, mercede accepta, sustulerunt. Quod quum ex oppido exportaretur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, quum illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta victoriam populi Romani reditu suo nuntiasset, Quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur! Tum imperator populi Romani, vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis ex urbe hostium recuperatos: nunc ex urbe sociorum praetor ejusdem populi turpissimus eosdem illos deos nefario scelere auferebat.

a) Himera, claro in primis Siciliae oppido, per Carthaginienses deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarunt, in ejusdem agri sinibus, neque longe ab oppido antiquo.

b) Lilybaeum, Siciliae promontorium.

Cic. in Verr. Lib. IV. c. 39. 40.

Audistis nuper dicere Legatos Tyndaritanos *a)*, homines honestissimos, ac principes civitatis: Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta, Tyndaritanis non solum suae victoriae, sed etiam illorum fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset, Verris vi, scelere, imperioque esse sublatum. Qui, ut primum in illud oppidum venit, statim, tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset, tamquam hoc senatus mandasset, populusque Romanus jusisset; ita continuo, signum ut demolirentur et Messanam deportarent, imperavit. Quod quum illis, qui aderant, indignum, qui audiebant, incredibile videretur: non est ab isto, primo illo adventu, perseveratum. Discedens mandat Proagoro *b)* Sopatro, ut demoliatur. Quum recusaret, vehementer minatur. Ita tum ex illo oppido proficiscitur. Proagorus refert rem ad senatum; vehementer undique reclamatur. Ne multa: iterum iste aliquanto post ad illos venit, quaerit continuo de signo. Respondetur ei, senatum non permittere: poenam capitibus constitutam, si injussu senatus quisquam

at

attigisset: simul religio commemoratur. Tum iste: Quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te non relinquam: moriere virgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad senatum defert, istius cupiditatem minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus perturbatusque discedit. Ille praetoris arcessitus nuntio, rem demonstrat: negat ullo modo fieri posse. Atque haec agebantur in conventu palam, de sella c), ac de loco superiore. Erat hiems summa, tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus: quum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, praecipitem in forum dejiciant, nudumque constituent. Vix erat hoc plane etiam imperatum, quum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuae, sicuti fere ceteris in oppidis Siciliae: ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit, cujus officia in illam civitatem totamque provinciam recentissima erant et maxima. In ea Sopatrum, hominem, tum domi nobilem, tum summo magistratu praeditum, divaricari ac deligari jubet. Quo cruciatus sit adfectus, venire in mentem necesse est omnibus, quum esset vinctus nudus in aëre, in imbri, in frigore. Neque tamen finis huic injuriae crudelitatisque fiebat, donec populus atque universa multitudo, atrocitate rei misericordiaeque commota, senatum clamore coëgit, ut ei simulacrum illud Mercurii polliceretur. Clamabant fore, ut ipsi sese dii immortales ulciscerentur: hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens senatus ad istum venit; pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, quum jam paene obriguisset, vix vivus aufertur.

a) Tyndarium, seu Tyndaria, urbs Siciliae.

b) Proagori dicti sunt in plerisque Siciliae urbibus summi magistratus, προαγορος, qui primus in concione dicit, i. e. princeps.

c) sc. curuli.

Cic. in Verr. Lib. IV. c. 46.

Insula est Melita, satis lato ab Sicilia mari periculo-
soque disjuncta: in qua est eodem nomine oppidum.
Ab eo oppido non longe in promontorio, fanum est
Junonis antiquum: quod tanta religione semper fuit, ut

non

non modo illis Punicis bellis, quae in his fere locis navali copia gesta atque versata sunt, sed etiam in hac praedonum multitudine semper inviolatum sanctumque fuerit. Quin etiam hoc memoriae proditum est, classe quondam Masinissae regis a) ad eum locum adpulsa, praefectum regium dentes eburneos incredibili magnitudine e fano sustulisse, et eos in Africam portasse, Masinissaeque donasse. Regem quidem primo delectatum esse munere: post, ubi audisset, unde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reportarent. Itaque in his inscriptum literis Punicis fuit: REGEM MASINISSAM IMPRUDENTEM ACCEPISSE: RE COGNITA, REPONENDOS RESTITUENDOSQUE CURASSE. Erat praeterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneae Victoriae, antiquo opere ac summa arte perfectae. Haec iste omnia, ne multis morer, uno impetu atque uno nuntio, per servos, quos ejus rei causa miserat, tollenda atque asportanda curavit.

a) sc. Numidiae.

Cic. in Verr. Lib. IV. c. 43.

Herculis templum est apud Agrigentinos, non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius, usque eo, ut rictum ejus ac mentum paullo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. Ad hoc templum, quum esset Verres Agrigenti, duce Timarchide a), repente, nocte intempesta, servorum armatorum fit concursus atque impetus. Clamor a vigilibus fanique custodiibus tollitur. Qui primo quum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati clavis ac fustibus repelluntur. Postea convulsis repagulis: effractisque valvis, demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota urbe percrebuit, expugnari deos patrios, non hostium adventu nec opinato, neque repentino praedonum impetu, sed ex domo atque cohorte praetoria, manum fugitivorum instructam armatamque venisse. Nemo Agrigenti neque aetatetam adfecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non ea nocte, eo nuntio excitatus surrexerit, telumque

que, quod cuique fors offerebat, arripuerit. Itaque brevi tempore ad fanum ex urbe tota concurritur. Hora amplius jam in demoliendo signo permulti homines molebantur: illud interea nulla lababat ex parte: quum alii vectibus subjectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. Repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio; dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites. Duo tamen sigilla perparvula tollunt, ne omnino inanes ad istum praedonem religionum reverterentur. Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant: velut in hac re. Aiebant, in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem *b*), quam illum aprum Erymanthium referri oportere. Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini *c*) postea, viri fortes et fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili civitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus, et religione maxima colitur. Fanum ejus est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. In eo Chryssae est simulacrum, praeclare factum e marmore. Id Verres poscere Assorinos propter singularem ejus fani religionem non ausus est. Tlepolemo dat Hieronique negotium. Illi noctu, facta manu, armatique veniunt; fores aedis effringunt: aeditui custodesque mature sentiunt; signum, quod erat notum vicinitali, buccina datur; homines ex agris concurrunt; ejicitur fugaturque Tlepolemus; neque quidquam ex fano Chryssae, praeter unum perparvulum signum ex aere, desideratum est.

a) Timarchides, libertus Verris.

b) Lusus verbi in Verris nomine. Verres enim etiam aprum indicat. Inter Herculis duodecim labores refertur etiam aper Erymanthius ab Hercule perdomitus.

c) Assorus, urbs Siciliae.

Cic. in Verr. Lib. IV. c. 27. 28. 29.

Reges Syriae, regis Antiochi filii pueri, Romae nuper fuerunt. Hi posteaquam per senatum agere, quae voluerant, non potuerant, in Syriam in regnum patrium profecti sunt. Eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit. Itaque, Verre praetore, venit Syracusas. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in ejus regnum ac manus venerat is, quem

quem iste et audierat multa secum praeclara habere, et suspicabatur. Mittit homini munera satis larga ad usum domesticum: vini, olei, quod visum erat: etiam tritici, quod satis esset. Deinde ipsum regem ad coenam vocavit. Exornat ample magnificeque triclinium; exponit ea, quibus abundat, plurima ac pulcherrima vasa argentea. Omnibus curat rebus instructum et paratum ut sit convivium. Quid multa? Rex ita discessit, ut et istum copiose ornatum, et se honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad coenam deinde ipse praetorem: exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quae ut mos est regius, et maxime in Syria gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo. Verris unum quodque vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere, praetori populi Romani satis jucundum et gratum illud esse convivium. Posteaquam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, (quod ipsa res declaravit) nisi, quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque dimitteret. Mittit rogatum vasa ea, quae pulcherrima apud illum viderat: ait se suis caelatoribus velle ostendere. Rex, qui istum non nosset, sine ulla suspitione libentissime dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle se eam diligentius considerare; ea quoque ei mittitur. Nunc reliquum, iudices, attendite, de quo et vos audistis, et populus Romanus non nunc primum audiet, et in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est.

Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum reges hi, quos dico, Romam quum attulissent, ut in Capitolio ponerent: quod nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt, ut et magnificentius videretur, quum suo tempore in cella Jovis Optimi Maximi poneretur, et clarius, quum pulchritudo ejus recens ad oculos hominum atque integra perveniret. Statuerunt id secum in Syriam reportare: ut, quum audissent simulacrum Jovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium atque pulcherrimum donum in Capitolium adferrent. Pervenit res ad Verris aures, nescio quomodo; nam rex celatum voluerat: non quo quidquam metueret aut suspicaretur, sed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus Romanus. Iste petit a rege, et eum

eum pluribus verbis rogat, ut id ad se mittat; cupere se dicit inspicere, neque se aliis videndi potestatem esse facturum. Antiochus, qui animo et puerili esset et regio, nihil de istius improbitate suspicatus est; imperat suis, ut id in praetorium involutum quam oculatissime deferrent. Quo posteaquam attulerunt, involucrisque rejectis constituerunt: iste clamare coepit, dignam rem esse regno Syriae, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis et pulcherrimis gemmis esse debebat: ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum adparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum. Quod quum satis jam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait, se velle illud etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum. Jubet illos discedere, et candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari. Dies unus, alter, plures: non referri. Tum mittit rex ad istum, si sibi videatur, ut reddat. Jubet iste posterius ad se reverti. Mirum illi videri. Mittit iterum. Non redditur. Ipse hominem adpellat: rogat, ut reddat. O hominis insignemque impudentiam cognoscite! quod sciret, quodque ex ipso rege audisset, in Capitolio esse ponendum: quod Jovi Optimo Maximo, quod populo Romano servari videret, id sibi ut donaret, rogare et vehementer petere coepit. Quum ille se et religione Jovis Capitolini, et hominum existimatione impediri diceret, quod multae nationes testes essent illius operis ac muneris: iste homini minari acerime coepit. Ubi videt, eum nihilo magis minis, quam precibus permoveri: repente hominem de provincia jubet ante noctem decedere. Ait, se comperisse, ex ejus regno piratas in Siciliam esse venturos. Rex maximo conventu, Syracusis, in foro, flens, ac deos hominesque contestans, clamare coepit; candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo populo Romano monumentum suae societatis amicitiaeque esse voluisset; id sibi C. Verrem abstulisse: de ceteris operibus ex auro et gemmis, quae sua penes illum essent, se non laborare: hoc sibi eripi, miserum esse et indignum. — Hoc nefario scelere concepto, Verres nihil postea tota in Sicilia neque sacri neque religiosi esse duxit. Ita sese in ea provincia per trien-

nium gessit, ut ab isto non solum hominibus, verum etiam diis immortalibus bellum indictum putaretur.

C. Poeticae.

1.

Naufragium Simonidis.

Phaedrus L. IV. Fab. 21.

Homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede pacta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio;
(Erat autem natus, ut ajunt, in Cea insula)
Adscendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior,
Simonide! tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tum pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Praedones adsunt; rapiunt quod quisque extulit.
Nudos relinquunt. Forte Clazomene prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepius versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum, cupidissime
Ad se recepit: veste, nummis, familia
Hominem exornavit: ceteri tabulam suam
Portant, rogantes victum, Quos casu obvius
Simonides ut vidit: dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perit.

2.

Mundi creatio.

Ovid. Met. L. I. v. 5—88.

Ante mare et terras, et quod tegit omnia caelum,
Unus erat toto naturae vultus in orbe,

Quem

Quem dixere Chaos: rudis indigestaque moles:
 Nec quidquam, nisi pontus iners, congestaque eodem
 Non bene junctarum discordia semina rerum.
 Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan:
 Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe:
 Nec circumfuso pendebat in aëre tellus,
 Ponderibus librata suis: nec brachia longo
 Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
 Quae fuit tellus, illic et pontus, et aër:
 Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
 Lucis egens aër, nulli sua forma manebat;
 Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
 Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
 Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
 Hanc Deus, et melior litem natura diremit.
 Nam caelo terras, et terris abscidit undas,
 Et liquidum spisso secrevit ab aëre caelum.
 Quae postquam evolvit, caecoque exemit acervo,
 Dissociata locis concordi pace ligavit.
 Ignea convexi vis et sine pondere caeli
 Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.
 Proximus est aër illi levitate, locoque.
 Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
 Et pressa est gravitate sui. Circumfluit humor
 Ultima possedit, solidumque coërcuit orbem.
 Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
 Congeriem secuit, sectamque in membra redegit:
 Principio terram, ne non aequalis ab omni
 Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
 Tum freta diffundi, rabidisque tumescere ventis
 Jussit, et ambitae circumdare litora terrae.
 Addidit et fontes, immensaque stagna lacusque,
 Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.
 Quae diversa locis partim sorbentur ab ipsa;
 In mare perveniunt partim campoque recepta
 Liberioris aquae, pro ripis litora pulsant.
 Jussit et extendi campos, subsidere valles,
 Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.
 Utque duae dextra caelum, totidemque sinistra
 Parte secant Zonae, quinta est ardentior illis:
 Sic onus inclusum numero distinxit eodem
 Cura Dei totidemque plagae tellure premuntur.
 Quarum quae media est, non est habitabilis aestu:
 Nix tegit alta duas: totidem inter utramque locavit,
 Tem-

Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma.
 Imminet his aër, qui, quanto est pondere terrae
 Pondus aquae levius, tanto est onerosior igne.
 Illic et nebulas, illic consistere nubes
 Jussit, et humanas motura tonitrua mentes,
 Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
 His quoque non passim mundi fabricator habendum
 Aëra permisit. Vix nunc obsistitur illis,
 Quum sua quisque regant diverso flamina tractu,
 Quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum.
 Eurus ad Auroram, Nabathaeaque regna recessit,
 Persidaque et radiis juga subdita matutinis,
 Vesper, et occiduo quae litora sole tepescunt,
 Proxima sunt Zephyro: Scythiam, septemque trionem
 Horriferae invasit Boreas: contraria tellus
 Nubibus adsiduis, pluvioque madescit ab Austro.
 Haec super imposuit liquidum et gravitate carentem
 Aethera, nec quidquam terrenae faecis habentem.
 Vix ea limitibus disseperat omnia certis;
 Quum, quae pressa diu massa latuere sub illa;
 Sidera coeperunt toto effervescere caelo.
 Neu regio foret ulla suis animantibus orba,
 Astra tenent caeleste solum, formaeque deorum:
 Cesserunt nitidis habitandae piscibus undae;
 Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
 Sanctius his animal, mentisque capacius altae
 Dêrat adhuc, et quod dominari in cetera posset,
 Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
 Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
 Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
 Aethere, cognati retinebat semina caeli.
 Quam satus Japeto, mixtam fluvialibus undis,
 Fingit in effigiem moderantum cuncta deorum.
 Pronaque quum spectent animalia cetera terram:
 Os homini sublime dedit, caelumque tueri
 Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
 Sic, modo quae fuerat rûdis et sine imagine tellus,
 Induit ignotas hominum conversa figuras.

Lycaon.

Ovid. Met. L. I. v. 163—252.

Quae a) pater ut summa vidit Saturnius arce,
 Ingemit; et, facto nondum vulgata recenti,
 Foeda Lycaoniae referens convivia mensae,
 Ingentes animo et dignas Jove concipit iras;
 Consiliumque vocat. Tenuit mora nulla vocatos.
 Est via sublimis, caelo manifesta sereno,
 Lactea nomen habet; candore notabilis ipso.
 Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis,
 Regalemque domum. Dextra laevaue deorum
 Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
 Plebs habitat diversa locis. A fronte potentes
 Caelicolae, clarique suos posuere penates.
 Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
 Haud timeam magni dixisse Palatia caeli.
 Ergo ubi marmoreo superi sedere recessu,
 Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno,
 Terrificam capitis concussit, terque quaterque
 Caesariem, cum qua terram, mare, sidera, movit,
 Talibus inde modis ora indignantia solvit:
*Non ego pro mundi regno magis anxius illa
 Tempestate fui, qua centum quisque parabant
 Injicere anguipedum captivo brachia caelo.
 Nam, quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
 Corpore, et ex una pendebat origine bellum.
 Nunc mihi, qua totum Nereus circumtonat orbem,
 Perdendum mortale genus. Per flumina juro
 Infera, sub terras stygio labentia luco,
 Cuncta prius tentata: sed immedicabile vulnus
 Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.
 Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Nymphae,
 Faunisque, Satyrique, et monticolae Silvani:
 Quos quoniam caeli nondum dignamur honore,
 Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.
 An satis, o superi, tutos fore creditis illos,
 Quum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque, regoque,
 Struxerit insidias, notus feritate Lycaon?
 Confremuere omnes, studiisque ardentibus ausum
 Talia deprecant. Sic, quum manus impia sacvit
 Sanguine Caesareo Romanum extinguere nomen,*
 At

Attonitum tantae subito terrore ruinae
 Humanum genus est; totusque perhorruit orbis.
 Nec tibi minus pietas, Auguste, tuorum,
 Quam fuit illa Jovi. Qui postquam voce manumque
 Murmura compressit: tenuere silentia cuncti.
 Substitit ut clamor, pressus gravitate regentis;
 Juppiter hoc iterum sermone silentia rumpit:
Ille quidem poenas (curam hanc dimittite) solvit.
Quod tamen admissum, quae sit vindicta, docebo.
 Contigerat nostras infamia temporis aures:
 Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
 Et deus humana lustris sub imagine terras.
 Longa mora est, quantum noxae sit ubique repertum
 Enumerare: minor fuit ipso infamia vero.
 Maenala transieram latebris horrenda ferarum,
 Et cum Cyllene gelidi pineta Lycei.
 Arcudas hinc sedes, et inhospita tecta tyranni
 Ingredior, traherent quum sera crepuscula noctem.
 Signa dedi venisse deum, vulgusque precari
 Coeperat. Irridet primo pia vota Lycaon.
 Mox, ait, experiar, deus hic, discrimine aperto
 An sit mortalis: nec erit dubitabile verum.
 Nocte gravem somno nec opina perdere morte
 Me parat; haec illi placet experientia veri.
 Nec contentus eo, missi de gente Molossu
 Obsidis unius jugulum mucrone resolvit:
 Atque ita semineces partim ferventibus artus
 Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
 Quos simul imposuit mensis; ego vindice flamma
 In domino dignos everti tecta Penates.
 Territus ille fugit, nactusque silentia ruris
 Exululat, frustra loqui conatur: ab ipso
 Colligit os rabiem, solitaeque cupidine caedis
 Ve titur in pecudes: et nunc quoque sanguine gaudet.
 In villos abeunt vestes; in crura lacerti;
 Fit lupus, et veteris servat vestigia formae.
 Canities eadem est, eadem violentia vultu,
 Idem oculi lucent, eadem feritatis imago.
 Occidit una domus; sed non domus una perire
 Digna fuit; qua terra patet, fera regnat Erinys.
 In facinus jurasse putes, Dent ocyus omnes,
 Quas meruere pati, sic stat sententia, poenas.
 Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque furenti
 Adjiciunt: alii partes adsensibus implent.

Est tamen humani generis jactura dolori
 Omnibus: et quae sit terrae, mortalibus orbae,
 Forma futura, rogant: quis sit laturus in aras
 Thura? ferisne paret populandas tradere gentes?
 Talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae)
 Rex superum trepidare vetat, sobolemque priori
 Dissimilem populo promittit origine mira.

a) Genus humanum flagitiis contaminatissimum esse.

4.

Deucalion.

Ovid. Met. L. I. v. 253—415.

Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras:
 Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
 Conciperet flammam, longusque ardesceret axis.
 Esse quoque in fatiis reminiscitur, adfore tempus,
 Quo mare, quo tellus, correptaque regia caeli
 Ardeat, et mundi moles operosa laboret.
 Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopium,
 Poena placet diversa, genus mortale sub undis
 Perdere, et ex omni nimbos demittere caelo.
 Protenus Aeoliis Aquilonem claudit in antris,
 Et quaecumque fugant inductas flammae nubes:
 Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis,
 Terribilem picea tectus caligine vultum.
 Barba gravis nimbis, canis pluit unda capillis:
 Fronte sedent nebulae: rorant pennaeque, sinusque.
 Utque manu lata pendentia nubila pressit,
 Fit fragor: hinc densi funduntur ab aethere nimbi.
 Nuntia Junonis, varios induta colores,
 Concipit Iris aquas, alimenta que nubibus adfert.
 Sternuntur segetes, et deplorata coloni
 Vota jacent, longique labor perit irritus anni.
 Nec caelo contenta suo Jovis ira: sed illum
 Caeruleus frater juvat auxiliariis undis.
 Convocat hic amnes. Qui postquam tecta tyranni
 Instravere sui: *Non est hortamine longo*
Nunc, ait, utendum: vires effundite vestras;
Sic opus est; aperite domos; ac, mole remota,
Fluminibus vestris totas immittite habenas,
 Jusserat. Hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
 Et defrenato volvuntur in aequora cursu.

Ipse

Ipse tridente suo terram percussit; at illa
 Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.
 Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;
 Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
 Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
 Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
 Indejecta malo; culmen tamen altior hujus
 Unda tegit, pressaeque labant sub gurgite turres.
 Jamque mare et tellus nullum discrimen habebant.
 Omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto,
 Occupat hic collem: cymba sedet alter adunca,
 Et ducit remos illuc, ubi nuper ararat.
 Ille supra segetes aut mersae culmina villae
 Navigat: hic summa piscem deprendit in ulmo.
 Figitur in viridi (si fors tulit) ancora prato:
 Aut subjecta terunt curvae vineta carinae.
 Et, mode qua graciles gramen carpsere capellae,
 Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.
 Mirantur sub aqua lucos, urbesque, domosque
 Nereides, silvasque tenent delphines, et altis
 Incursant ramis, agitataque robora pulsant.
 Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones:
 Unda vehit tigres; nec vires fulminis apro,
 Crura nec ablato prosunt velocia cervo:
 Quaesitisque diu terris, ubi sistere detur,
 In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
 Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
 Pulsabantque novi montana cacumina fluctus.
 Maxima pars unda rapitur; quibus unda pepercit,
 Illos longa domant inopi jejunia victu.

Separat Aonios Actaeis Phocis ab arvis a),
 Terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo
 Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
 Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
 Nomine Parnassus: superatque cacumine nubes.
 Hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)
 Cum consorte tori parva rate vectus adhaesit:
 Corycidas Nymphas, et numina montis adorant,
 Fatidicamque Themis, quae nunc oracla tenebat.
 Non illo melior quisquam, nec amantior aequi
 Vir fuit, aut illa metuentior ulla Deorum.
 Juppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
 Et superesse videt de tot modo millibus unum,
 Et superesse videt de tot modo millibus unam;

Innocuos ambos, cultores numinis ambos :
 Nubila disjecit; nimbisque Aquilone remotis,
 Et caelo terras ostendit, et aethera terris.
 Nec maris ira manet; positoque tricuspile telo
 Mulcet aquas rector pelagi; supraque profundum
 Exstantem, atque humeros innato murice tectum,
 Caerulum Tritona vocat; conchaeque sonaci
 Inspirare jubet; fluctusque et flumina signo
 Jam revocare dato Cava buccina sumitur illi
 Tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo :
 Buccina, quae medio concepit ut aëra ponto,
 Litora voce replet sub utroque jacentia Phoebō.
 Tum quoque, ut ore dei madida rorantia barba
 Contigit, et cecinit jussos inflata receptus,
 Omnibus audita est telluris et aequoris undis :
 Et quibus est undis audita, coercuit omnes.
 Jam mare litus habet: plenos capit alveus amnes :
 Flumina subsidunt: colles exire videntur :
 Surgit humus: crescunt loca decrescentibus undis.
 Postque diem longam nudata cacumina silvae
 Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.
 Redditus orbis erat. Quem postquam vidit inanem,
 Et desolatas agere alta silentia terras
 Deucalion, lacrimis ita Pyrrham adfatur obortis :
O soror, o conjux, o femina sola superstes,
Quam commune mihi genus, et patrielis origo,
Deinde torus junxit, nunc ipsa pericula jungunt !
Terrarum, quascumque vident occasus et ortus,
Nos duo turba sumus: possedit cetera pontus.
Nunc quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae
Certa satis: terrent etiamnum nubila mentem.
Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem
Ferre modo posses? quo consolante dolores?
Namque ego, (crede mihi), si te modo pontus haberet:
Te sequerer, conjux, et me quoque pontus haberet.
O utinam possim populos reparare pater is
Artibus, atque animas formatae infundere terrae.
Nunc genus in nobis restat mortale duobus,
Sic visum superis! hominumque exempla manemus.
 Dixerat, et flebant. Placuit caeleste precari
 Numen, et auxilium per sacras quaerere sortes.
 Nulla mora est; adeunt pariter Cephisidas undas,
 Ut nondum liquidas, sic jam vada nota secantes.

Inde ubi libatos irroravere liquores
 Vestibus et capiti; flectunt vestigia sanctae
 Ad delubra Deae: quorum fastigia turpi
 Squalebant musco, stabantque sine ignibus arae,
 Ut templi tetigere gradus; procumbit uterque
 Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo,
 Atque ita: *Si precibus, dixerunt, numina justis
 Victa remollescunt, si flectitur ira Deorum;
 Dic Themis, qua generis damnum reparabile nostri
 Arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus.*
 Mota dea est, sortemque dedit: *Discedite templo,
 Et velate caput, cinctasque resolvite vestes,
 Ossa post tergum magnae jactate parentis.*
 Obstupere diu: rumpitque silentia voce
 Pyrrha prior, jussisque Deae parere recusat:
 Detque sibi veniam, pavido rogat ore: pavetque
 Laedere jactatis maternas ossibus umbras.
 Interea repetunt caecis obscura latebris
 Verba datae sortis secum, inter seque volutant.
 Inde Promethides placidis Epimethida dictis
 Mulcet, et: *Aut fallax, ait, est solertia nobis,
 Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.*
*Magna parens terra est, lapides in corpore terrae
 Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur.*
 Conjugis augurio quamquam Titania mota est;
 Spes tamen in dubio est; adeo caelestibus ambo
 Diffidunt monitis; sed quid tentare nocebit?
 Descendunt, velantque caput, tunicasque recingunt;
 Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.
 Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
 Ponere duritiem coepere suumque rigorem,
 Molliri que mora, mollitaque ducere formam.
 Mox, ubi creverunt, natura que mitior illis
 Contigit, ut quaedam, sic non manifesta, videri
 Forma potest hominis, sed uti de marmore coepto
 Non exacta satis, radibusque simillima signis.
 Quae tamen ex illis aliquo pars humida succo
 Et terrena fuit, versa est in corporis usum.
 Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa:
 Inque brevi spatio, superiorum numine saxa
 Missa viri manibus faciem traxere virilem:
 Et de femineo reparata est femina jactu.

Inde genus durum sumus, experiensque laborum :
Et documenta damus, qua simus origine nati.

a) Aonii, Boeotiae incolae antiqui. Attica olim ἄστρ.

5.

Python.

Ovid. Met. L. I. v. 416—551.

Cetera diversis tellus animalia formis
Sponte sua peperit, postquam vetus humor ab igne
Percaluit solis, coenumque, udaeque paludes
Intumuere aestu: fecundaque semina rerum,
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo,
Creverunt, faciemque aliquam cepere morando.
Sic ubi deseruit madidos septemfluvus agros
Nilus, et antiquo sua flumina reddidit alveo,
Aethereoque recens exarsit sidere limus;
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt, et in his quaedam modo coepta sub ipsum
Nascendi spatium, quaedam imperfecta, suisque
Trunca vident numeris; et eodem in corpore saepe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus,
Quippe ubi temperiem sumserit humorque calorque:
Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus:
Quumque sit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, et discors concordia foetibus apta est.
Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus aetheriis, almoque recanduit aestu;
Edidit innumeras species, partimque figuras
Retulit antiquas; partim nova monstra creavit.
Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit; populisque novis, incognita serpens,
Terror eras. Tantum spatii de monte tenebas,
Hanc Deus arcitenens, et numquam talibus armis
Ante, nisi in damis capreisque fugacibus, usus,
Mille gravem telis exhausta paene pharetra,
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam possit delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia, de domitae serpentis nomine dictos.
Hic juvenum quicumque manu, pedibusve, rotave,
Vicerat, aesculeae capiebat frondis honorem.

Non.

Nondum laurus erat, longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus,

6.

Cadmus in draconem versus.

Ovid. Met. L. IV. v. 562—602.

Nescit Agenorides natam, parvumque nepotem a)
Aequoris esse Deos. Luctu, serieque malorum
Victus, et ostentis, quae plurima viderat, exit
Conditor urbe sua tamquam fortuna locorum,
Non sua se premeret: longisque erratibus actus,
Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines,
Jamque malis annisque graves, dum prima retractant
Fata domus, releguntque suos sermone labores,
Num sacer ille, mea trajectus cuspide serpens,
Cadmus ait, *fuert; tum, quum Sidone profectus*
Vipereos sparsi per humum, nova semina, dentes?
Quem, si cura Deum tam certa vindicat ira,
Ipse precor serpens in longam porrigar alvum.
Dixit, et, ut serpens, in longam tenditur alvum,
Durataeque cuti squammas increscere sentit,
Nigraque caeruleis variari corpora guttis:
In pectusque cadit pronus: commissaque in unum
Paullatim tereti sinuantur acumine crura.
Brachia jam restant: quae restant, brachia tendit,
Et lacrimis per adhuc humana fluentibus ora:
Accede o conjux, accede miserima, dixit;
Dumque aliquid superest de me mihi; tange, manumque
Accipe, dum manus est; dum non totum occupat anguis.
Ille quidem vult plura loqui; sed lingua repente
In partes est fissa duas; nec verba volenti
Sufficiunt: quotiesque aliquos parat edere questus,
Sibilat; hanc illi vocem natura reliquit.
Nuda manu feriens, exclamat, pectora conjux:
Cadme, mane: teque his infelix exue monstris.
Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi sunt humerique? manusque?
Et color, et facies, et, dum loquor, omnia? cur non
Me quoque, caelestes in eandem vertitis anguem?

Et

Et subito duo sunt; junctoque volumine serpunt;
 Donec in adpositi nemoris subiere latebras.
 Nunc quoque, nec fugiunt hominem, nec vulnere laedunt;
 Quidque prius fuerint, placidi meminere dracones.

a) Cadmi, cujus pater Agenor, filia Io, nepos Melicertes.

Daedalus.

Ovid. Met. L. VIII. v. 183—235.

Daedalus interea Creten, longumque perosus
 Exsilium, tractusque loci natalis amore,
 Clausus erat pelago. Terras licet, inquit, et undas
 Obstruat, at caelum certe patet. Ibimus illac.
 Omnia possident, non possidet aëra Minos.
 Dixit: et ignotas animum dimittit in artes,
 Naturamque novat, nam ponit in ordine pennas,
 A minima coeptas, longam brevior sequenti,
 Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
 Fistula disparibus paullatim surgit avenis.
 Tum lino medias, et ceris adligat imas.
 Atque ita compositas parvo curvamine flectit;
 Ut veras imitentur aves. Puer Icarus una
 Stabat: et, ignarus sua se tractare pericla,
 Ore ridenti, modo, quas vaga moverat aura,
 Captabat plumas: flavam modo pollice ceram
 Mollibat, lusuque suo mirabile patris
 Impediebat opus. Postquam manus ultima coeptis
 Imposita est; geminas opifex libravit in alas
 Ipse suum corpus, motaque pendit in aura.
 Instruit et natum: Medioque ut limite curras,
 Icare, ait, moneo, ne, si demissior ibis,
 Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
 Inter utrumque vola. Nec te spectare Booten a),
 Aut Helicen jubeo, strictumve Orionis ense.
 Me duce carpe viam. Pariter praecepta volandi
 Tradit: et ignotas humeris adcommodat alas.
 Inter opus monitusque genae maduere seniles;
 Et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato
 Non iterum repetenda suo: pennisque levatus
 Ante volat: comitique timet: velut ales ab alto
 Quae teneram prolem produxit in aëra nido:
 Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes;

Et

Et movet ipse suas, et nati respicit alas,
 Hos aliquis tremula dum captat arundine pisces,
 Aut pastor baculo; stivaeve innixus arator,
 Vidit, et obstupuit; quique aethera carpere possent,
 Credidit esse deos. Et jam Junonia laeva
 Parte Samos fuerant, Delosque, Parosque relictæ,
 Dextra Lebynthos erant, fecundaque melle Calymne *b)*:
 Quum puer audaci coepit gaudere volatu,
 Deseruitque ducem, caelique cupidine tactus
 Altius egit iter. Lapidum vicinia solis
 Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
 Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos,
 Remigioque carens non ullas percipit auras:
 Oraque caerulea, patrium clamantia nomen,
 Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.
 At pater infelix, nec jam pater: *Icare*, dixit,
Icare, dixit, *ubi es? qua te regione requiram?*
Icare, dicebat: pennas conspexit in undis,
 Devovitque suas artes, corpusque sepulcro
 Condidit, et tellus a nomine dicta sepulti.

a) Fugiebat versus septentrionem, et spectabat sidera, tamquam
 nautæ.

b) Insulæ in mari Aegeo.

8.

Orpheus discerpitur.

Ovid. Met. L. XI v. 1—66.

— **C**arminum dum silvas, animosque ferarum
 Threïcius vates, et saxa sequentia ducit:
 Ecce nurus Ciconum *a)*, tectæ lymphata ferinis
 Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
 Orpheus, percussis sociantem carmina nervis.
 E quibus una, levem jactato crine per auram:
En, ait, *en hic est nostri contemtor*: et hastam
 Vatis Apollinei vocalia misit in ora.
 Quæ foliis praesuta notam sine vulnere fecit.
 Alterius telum lapis est, qui missus, in ipso
 Aëre concentu victus vocisque lyraeque est;
 Ac, veluti supplex pro tam furialibus ausis,
 Ante pedes jacuit; sed enim temeraria crescunt
 Bella, modusque abiit, insanaque regnat Erynnis.
 Cunctaque tela forent cantu mollita: sed ingens

Cl-

Clamor, et inflato Berecynthia *b*) tibia cornu,
 Tympanaque plaususque, et Bacchei ululatus
 Obstrepere sono citharae: tum denique saxa
 Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
 At primum attonitas etiamnum voce canentis
 Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum
 Maenades Orphei titulum rapuere theatri:
 Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris;
 Et coëunt, ut aves, si quando luce vagantem
 Noctis avem cernunt: structoque utriusque theatro
 Ceu matutina cervus periturus arena,
 Praeda canum est: vatemque petunt, et fronde virenti
 Conjiciunt thyrsos, non haec in munera factos.
 Hae glebas, illae dereptos arbore ramos,
 Pars torquent silices. Neu desint tela furori,
 Forte boves presso subigebant vomere terram,
 Nec procul hinc, multo fructum sudore parantes,
 Dura lacertosi fodiebant arva coloni.
 Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
 Arma sui: vacuosque jacent dispersa per agros
 Sarculaque, rastrique graves, longique ligones.
 Quae postquam rapuere ferae: cornuque minaci
 Divellere boves, ad vatis fata recurrunt,
 Tendentemque manus, et in illo tempore primum
 Irrita dicentem, nec quidquam voce moventem.
 Sacrilegae perimunt: perque os (prò Juppiter!) illud,
 Auditum saxis, intellectumque ferarum
 Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
 Te, moestae volucres, Orpheu, te turba ferarum,
 Te rigidae silices, tua carmina saepe sequutae
 Fleverunt silvae: positis te frondibus arbor,
 Tonsa comam, luxit: lacrimis quoque flumina dicunt
 Increvisse suis: obscuraque carbasa pullo
 Naïdes et Dryades, passosque habuere capillos.
 Membra jacent diversa locis; caput, Hebre, lyramque
 Excipis; et (mirum) medio dum labitur amne,
 Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
 Murmurat exanimis; respondent flebile ripae.
 Jamque mare invectae flumen populare relinquunt,
 Et Methymnaeae potiuntur litore Lesbi *c*).
 Hic ferus oppositum peregrinis anguis arenis
 Os petit, et sparsos stillanti rore capillos.
 Tandem Phoebus adest, morsusque inferre parantem
 Arcet, et in lapidem rictus serpentis apertos

Congelat, et patulos (ut erant) indurat hiatus.
 Umbra subit terras: et, quae loca viderat ante,
 Cuncta recognoscit. Quaerensque per arva piorum
 Invenit Euridicen, cupidisque amplectitur ulnis.
 Hic modo conjunctis spatiantur passibus ambo.
 Nunc praecedentem sequitur, nunc praevisus anteit,
 Eurydicenque suam jam tuto respicit Orpheus.

- a) sc. mulieres Ciconum, qui erant populus Thraecicus ad Hebrum.
 b) Tibia Berecynthia dicitur a Berecyntho, monte Phrygiae, eratque cornu incurvum, quo sacerdotes Phryges usi sunt in sacris Cybeles; aliisque etiam deinde sacris, uti hic in Bacchi orgiis.
 c) Methymna metropolis insulae Lesbi.

Bacchae mutantur in arbores.

Ovid. Met. L. XI, v. 67—84.

Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyaeus:
 Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
 Protenus in silvis matres Edonidas a) omnes,
 Quae fecere nefas, torta radice ligavit.
 Quippe pedum digitos, in quantum quaeque sequuta est,
 Traxit, et in solidam detrusit acumine terram.
 Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
 Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri,
 Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu:
 Sic ut quaeque solo defixa cohaeserat harum,
 Exsternata fugam frustra tentabat; ad illam
 Lenta tenet radix, exsultantemque coëret.
 Dumque ubi sint digiti, dum pes ubi quaerit, et ungues,
 Adspicit in teretes lignum succedere suras.
 Et conata femur moerenti plangere dextra,
 Robora percussit; pectus quoque robora fiunt:
 Robora sunt humeri: porrectaque brachia veros
 Esse putes ramos; et non fallare putando.

- a) *Edoni*, Thraeciae populus: *Edoni* enim montes Thraeciae, in quibus Bacchi orgia praecipue celebrabantur.

Midas aureus.

Ovid. Met. L. XI. v. 85—145.

Nec satis hoc Baccho est: ipsos quoque deserit agros:
 Cumque choro meliore sui vineta Tymoli
 Pactolonque petit; quamvis non aureus illo
 Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
 Hunc adsueta cohors Satyri, Bacchaeque frequentant.
 At Silenus abest. Titubantem annisque meroque
 Ruricolae cepere Phryges; vinctumque coronis
 Ad regem traxere Midam: cui Thracius Orpheus
 Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
 Qui simul agnovit socium, comitemque sacrorum,
 Hospitis a lventu festum genialiter egit
 Per bis quinque dies, et junctas ordine noctes.
 Et jam stellarum sublime coëgerat agmen
 Lucifer undecimus, Lydos quum laetus in agros
 Rex venit, et juveni Silenum reddit alumno.
 Huic Deus optandi gratum, sed inutile, fecit
 Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
 Ille male usurus donis, ait: *Effice, quidquid*
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
 Adnuit optatis, nocituraque munera solvit
 Liber, at indoluit, quod non meliora petisset.
 Laetus abit, gaudetque malo Berecynthus heros *a*);
 Pollicitamque fidem tangendo singula tentat.
 Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
 Illice detraxit virgam: virga aurea facta est.
 Tollit humo saxum: saxum quoque palluit auro;
 Contigit et glebam: contactu gleba potenti
 Massa fit; arentes Cereris decerpsit aristas:
 Aurea messis erat; demtum tenet arbore pomum:
 Hesperidas *b*) donasse putes. Si postibus altis
 Admovit digitos: postes radiare videntur.
 Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
 Unda fluens palmis Danaën eludere posset.
 Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
 Omnia. Gaudenti mensas posuere ministri,
 Exstructas dapibus, nec tostae frugis egentes.
 Tum vero sive ille sua Cerealia dextra
 Munera contigerat; Cerealia dona rigebant;
 Sive dapes avido convellere dente parabat;

Lamina fulva dapes, admoto dente, nitebant.
 Miscuerat puris auctorem muneris undis:
 Fusile per rictus aurum fluitare videres.
 Attonitus novitate mali, divesque miserque,
 Effugere optat opes, et, quae modo voverat, odit.
 Copia nulla famem relevat, sitis arida guttur
 Urit, et invisio meritus torquetur ab auro.
 Ad caelumque manus, et splendida brachia tollens:
Da veniam Lenae pater; peccavimus, inquit;
Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno.
 Mite deum numen Bacchus peccasse fatentem
 Restituit, pactamque fidem, data munera, solvit:
Neve male optato mancas circumlitus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem;
Pe que jugum montis labentibus obviis undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus:
Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput, corpusque simul, simul elue crimen.
 Rex jussae succedit aquae. Vis aurea tinxit
 Flumen, et humano de corpore cessit in amnem.
 Nunc quoque jam veteris percepto semine venae
 Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.

- a) *Berecynthius*, non Phrygius est, quod quidam volunt, sed
 Cybeles Berecynthiae filius; quia additur *heros*, i. e. deae
 filius.
 b) *Hesperides*, Aegle, Erythia, Hestia, et Arethusa, dicuntur
 filiae Noctis, et ad Atlantem apud Hyperboreos pomorum
 aureorum (*Orangen*), quae Junoni, nuptias cum Jove cele-
 branti, donum nuptiale oblata sunt, custodes.

11.

Midae aures.

Ovid. Met. L. XI. v. 146—193.

Ille (*Midas*) perosus opes, silvas et rura colebat,
 Panaque montanis habitantem semper in antris.
 Pingue sed ingenium mansit, nocituraque, ut ante,
 Rursus erant domino stolidae praecordia mentis:
 Nam freta prospiciens, latae riget arduus alto
 Tmolus in adscensu, clivoque extensus utroque,
 Saribus hinc, illinc parvis finitur Hipaepis.
 Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis,
 Et leve cerata modulatur arundine carmen;

Au-

Ausus Apollineos prae se contemnere cantus:
 Judice sub Tmolo certamen venit ad impar.
 Monte suo senior judex consedit, et aures
 Liberat arboribus. Quercu coma caerulea tantum
 Cingitur, et pendent circum cava tempora glandes,
 Isque Deum pecoris spectans: *In judice*, dixit,
Nulla mora est. Calamis agrestibus insonat ille;
 Barbaricoque Midam (aderat nam forte canenti)
 Carmine delenit. Post hunc sacer ora retorsit
 Tmolus ad os Phoebi: vultum sua silva sequuta est.
 Ille caput flavum lauro Parnasside vinctus
 Verrit humum, Tyrio saturata murice palla:
 Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis
 Sustinet a laeva: tenuit manus altera plectrum.
 Artificis status ipse fuit. Tum stamina docto
 Pollice sollicitat, quorum dulcedine captus
 Pana jubet Tmolus citharae submittere cannas.
 Judicium sanctique placet sententia montis
 Omnibus. Arguitur tamen atque injusta vocatur
 Unius sermone Midae. Nec Delius aures
 Humanam stolidas patitur retinere figuram;
 Sed trahit in spatium, villisque albetibus implet;
 Instabilesque imo facit, et dat posse moveri.
 Cetera sunt hominis: partem damnatur in unam:
 Induiturque aures lente gradientis aselli.
 Ille quidem celat, turpique onerata pudore
 Tempora purpureis tentat velare tiaris.
 Sed, solitus longos ferro resecaere capillos,
 Viderat hoc famulus, qui, quum nec prodere visum
 Dedecus auderet; cupiens efferre sub auras,
 Nec posset reticere tamen: secedit, humumque
 Effodit, et domini quales adspexerit aures,
 Voce refert parva, terraeque immurmurat haustae:
 Indiciumque suae vocis tellure regesta
 Obruit, et scrobibus tacitus secedit operis.
 Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
 Coepit: et, ut primum pleno maturuit anno,
 Prodidit agricolam. Leni nam motus ab austro
 Obruta verba refert: dominique coarguit aures.

Achillis mors.

Ovid. Met. L. XII. v. 580. usque ad finem.

—Deus, aequoreas qui cuspide temperat undas,
 In volucrum corpus nati Stheneleida *a)* versum
 Mente dolet patria, saevumque perosus Achillen
 Exercet memores, plus quam civiliter, iras.
 Jamque fere tracto duo per quinquennia bello;
 Talibus intonsum compellat Sminthea *b)* dictis:
O mihi de fratris longe gratissime natis,
Irrita, qui mecum posuisti moenia Trojae,
Ecquid, ut has jam jam casuras adspicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia caesa doles? ecquid (no persequar omnes)
Hectoris umbra subit, circum sua Pergama tracti?
Quum tamen ille ferox, belloque cruentior ipso,
Vivit adhuc, operis nostri populator, Achilles.
Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim,
Sentiet. At quoniam concurrere cominus hosti
Non datur; occulta nec opinum perde sagitta.
 Adnuit: atque animo pariter patruoque suoque
 Delius indulgens, nebula velatus in agmen
 Pervenit Iliacum, mediaque in caede virorum
 Rara per ignotos spargentem cernit Achivos
 Tela Parin, fassusque deum: *Quid spicula perdis*
Sanguine plebis? ait: si qua est tibi cura tuorum,
Vertere in Aeaciden, caesosque ulciscere fratres.
 Dixit: et ostendens sternentem Troia ferro
 Corpora Peliden, arcus obvertit in illum.
 Certaue letifera direxit spicula dextra.
 Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
 Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor Achille
 Vinceris a timido Grajae raptore maritae!
 At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
 Thermodontiaca *c)* malles cecidisse bipenni.
 Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
 Nominis, Aeacides, caput insuperabile bello,
 Arserat: armarat deus idem, idemque cremarat *d)*.
 Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
 Nescio quid, parvam quod non bene compleaturnam;
 At vivit, totum quae gloria compleat orbem.
 Haec ille mensura viro respondet, et hac est

Par sibi Pelides, nec inania Tartara sentit.
 Ipse etiam, ut cujus fuerit, cognoscere posses,
 Bella movet clipeus, deque armis arma seruntur,
 Non ea Tydides, non audet Oileos Ajax,
 Non minor Atrides, non bello major et aevo,
 Poscere, non alii; soli Telamone creato,
 Laërtaque fuit tantae fiducia laudis.
 A se Tantalides e) onus invidiamque removit,
 Argolicosque duces mediis considerare castris
 Jussit et arbitrium litis trajecit in omnes.

a) *Volucris Stheneleis* est cygnus, in quem olim, (*Ovid. Met. II. v. 367, sqq.*), Cygnus, Stenelei filius, mutatus erat.

b) *Apollo* dictus est in Troade *Smintheus*, vel a templo, quod *Sminthi* habebat; vel ab aeolico vocabulo *σμινθος*, quod murrem significat: quia *Apollo* Troadæ a muribus, quibus tota regio plurimum infestabatur, liberasse fertur.

c) *Thermodontiaca bipennis* significat *Penthesileam*, fortissimam Amazonum, ad *Thermodonta*, fluvium in Ponto, habitantium, reginam, quae Trojanis adversus Graecos tulerat auxilium.

d) *Lusus ingenii frigidus. Idem deus armarat*, i. e. *Vulcanus* arma *Achillis* fabricaverat, *idemque cremarat*, i. e. *Vulcanus* seu ignis corpus ejus adsumserat.

e) *Tantalides*, i. e. *Agamemnon*, cujus pater *Atræus*, filius *Pelopis*, et nepos *Tantali* fuerat.

Aeneas ad patris tumulum sacra facit.

Virg. Aeneid. V. v. 72—103.

(*Aeneas*) velat materna tempora myrto;
 Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
 Hoc puer Ascanius; sequitur quos cetera pubes.
 Ille e concilio multis cum millibus ibat
 Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
 Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
 Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
 Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens iterum; salvete recepti
Nequidquam cineres, animaeque umbraeque paternae.
Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Tybrim.
 Dixerat haec; adytis quum lubricus anguis ab imis

Septem ingens gyros; septena volumina, traxit,
 Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras;
 Caeruleae cui terga notae, maculosus et auro
 Squamam incendebat fulgor; ceu nubibus arcus
 Mille jacit varios adverso sole colores.
 Obstupuit visu Aeneas. Ille agmine longo
 Tandem inter pateras et levia pocula serpens,
 Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
 Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
 Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
 Incertus geniumne loci, famulumne parentis,
 Esse putet: caedit binas de more bidentes,
 Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos;
 Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
 Anchisae magni, Manesque Acheronte remissos.
 Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
 Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos:
 Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
 Subjiciunt verubus prunas, et viscera torrent.

14.

*Trojani sepeliunt Misenum.**Virg. Aeneid. VI. v. 212—235.*

Nec minus interea Misenum in litore Teucri
 Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
 Principio pinguem taedis et robore secto
 Ingentem struxere pyram; cui frondibus atris
 Intexunt latera, et ferales ante cupressos
 Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
 Pars calidos latices et ahena undantia flammis
 Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
 Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt;
 Purpureasque super vestes, velamina nota,
 Conjiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
 Triste ministerium, et subjectam more parentum
 Aversi tenuere facem: congesta cremantur
 Tyria dona, dapes, fuso crateres olivo.
 Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
 Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
 Ossaque lecta cado texit Corynaeus aheno.
 Idem ter socios pura circumtulit unda,
 Spargens rore levi et ramo felicis olivae,

Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
 At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
 Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
 Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
 Dicitur, aeternumque tenet per secula nomen.

15.

Hercules et Cacus.

Virg. Aeneid. VIII. v. 184—272.

Postquam exempta fames, et amor compressus edendi.
 Rex Evandrus ait: non haec solemnia nobis,
 Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
 Vana superstitio veterumque ignara deorum
 Imposuit: saevis, hospes Trojane, periclis
 Servati facimus, meritosque novamus honores.
 Jam primum saxis suspensam hanc adspice rupem;
 Disjectae procul ut moles, desertaque montis
 Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
 Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
 Semihominis Caci, facies quam dira tenebat,
 Solis inaccessam radiis; semperque recenti
 Caede tepebat humus; foribusque adfixa superbis
 Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
 Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
 Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
 Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
 Auxilium adventumque dei: nam maximus ultor,
 Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus,
 Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
 Ingentes; vallemque boves amnemque tenebant.
 At furii Caci mens effera, ne quid inausum
 Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
 Quatuor a stabulis praestanti corpore tauros
 Avertit, totidem forma superante juvenecas;
 Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
 Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
 Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
 Quaerenti nullà ad speluncam signa ferebant.
 Interea, quum jam stabulis saturata moveret
 Amphitryoniades armenta, abiturumque pararet:
 Discessu mugire boves atque omne querelis
 Impleri nemus, et colles clamore relinqui.

Red-

Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
 Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
 Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
 Felle dolor: rapit arma manu, nodisque gravatum
 Robur, et aetherii cursu petit ardua montis.
 Tum primum nostri Cacum videre timentem,
 Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
 Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
 Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis
 Dejecit saxum, ferro quod et arte paterna
 Pendebat, fultosque emuniit obice postes;
 Ecce furens animis aderat Tiryntius, omnemque
 Accessum lustrans, huc ora ferebat et illuc,
 Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
 Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
 Limina nequidquam; ter fessus valle resedit.
 Stabat acuta silex, praecisis undique saxis,
 Speluncae dorso insurgens, altissima visu,
 Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
 Hanc, ut prona jugo laevum incumbebat ad annem,
 Dexter in adversum nitens concussit, et imis
 Avulsam solvit radicibus; inde repente
 Impulit, impulsu quo maximus insonat aether:
 Dissultant ripae, refluitque exterritus amnis.
 At specus et Caci detecta adparuit ingens
 Regia, et umbrosae penitus patuere cavernae:
 Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens
 Infernas reseret sedes, et regna recludat
 Pallida, dis invisae, superque immane barathrum
 Cernatur, trepident immisso lumine Manes.
 Ergo insperata deprensam in luce repente,
 Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
 Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
 Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
 Ille autem, neque enim fuga jam super ulla pericli,
 Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
 Evomit, involvitque domum caligine caeca,
 Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
 Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.
 Non tulit Alcides animis; seque ipse per ignem
 Praecipiti injectit saltu, qua pluribus undam
 Fumus agit, nebulaque ingens specus aestuat atra.
 Hic Cacum in tenebris incendia vana moventem
 Corripit, in nodum complexus, et angit inhaerens

Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
 Panditur extemplo foribus domus atra revulsis;
 Abstractaeque boves abjurataeque rapinae
 Caelo ostenduntur; pedibusque informe cadaver
 Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
 Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
 Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.
 Ex illo celebratus honos, laetique minores
 Servavere diem; primusque Potitius auctor,
 Et domus Herculei custos Pinaria sacri
 Hanc aram luco statuit, quae maxima semper
 Dicetur nobis, et erit quae maxima semper.

16.

Aeneas singulari certamine occidit Turnum.

Virg. Aeneid. XII. v. 887. usq. ad finem.

Aeneas instat contra, telumque coruscat
 Ingens, arboreum, et saevo sic pectore fatur:
 Quae nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
 Non cursu, saevis certandum est cominus armis.
 Verte omnes tete in facies, et contrahe, quidquid
 Sive animis, sive arte, vales; opta ardua pennis
 Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
 Ille, caput quassans: Non me tua fervida terrent
 Dicta, ferox; di me terrent et Juppiter hostis.
 Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
 Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
 Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
 Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
 Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
 Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
 Altior insurgens, et cursu concilius, heros.
 Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
 Tollentemve manu, saxumque immane moventem.
 Genua labant; gelidus concrevit frigore sanguis.
 Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
 Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
 Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
 Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
 Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
 Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
 Sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur:

Sic

Sic Turno, quacunq;e viam virtute petivit,
 Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
 Vertuntur varii. Rutulos adspectat et urbem,
 Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit,
 Nec qui se eripiat, nec qua vi tendat in hostem.
 Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.

Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
 Sortitus fortunam oculis, et corpore toto
 Eminus intorquet. Murali concita nunquam
 Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
 Dissultant crepitus. Volat atrî turbinis instar
 Exitium dirum hasta ferens: orasque recludit
 Loricae, et clypei extremos septemplex orbis:
 Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
 Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
 Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
 Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
 Ille, humilis supplexque, oculos dextramque precantem
 Protendens: Ecquidem merui, nec deprecor, inquit:
 Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
 Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
 Anchises genitor), Dauni miserere senectae;
 Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
 Redde meis. Vicisti, et victum tendere palmas:
 Ausonii videre: tua est Lavinia conjux.
 Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
 Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit.
 Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
 Coeperat, infelix humero quum adparuit alto
 Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
 Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
 Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
 Ille, oculis postquam monumenta doloris
 Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira
 Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
 Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
 Immolat, et poenas scelerato ex sanguine sumit.
 Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
 Fervidus. At illi solvuntur frigore membra,
 Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

III. Descriptiones.

A. Historicae.

1.

Descriptio Indiae.

Curt. VIII. c. 9.

India terra lini ferax: inde plerisque sunt vestes. Libri arborum teneri, haud secus quam chartae, literarum notas capiunt. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata ceteris generibus, nisi invecta. Eadem terra et rhinocerotas alit, non generat *a)*. Elephantorum major est vis, quam quos in Africa domitant; et viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit: neque alia illis major opulentiae causa est, utique postquam vitiorum commercium *b)* vulgavere in exteras gentes; quippe aestimantur purgantia aestuantis freti *c)* pretio, quod libido constituit. Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs format. Corpora usque ad pedes carbasa velant; soleis pedes, capita linteis vinciunt: lapilli ex auribus pendent; brachia quoque et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt saepius, quam tondent; mentum semper intonsum est; reliquam oris cutem ad speciem laevitatis exaequant. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam adpellant, supra omnium gentium vitia. Quum rex se in publico conspicere patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent; Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat; distincta sunt auro et purpura carbasa, quae indutus est; lecticam sequuntur armati corporisque custodes, inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. Regia auratas columnas habet; totas eas vitis, auro celata, percurrit, aviumque, quarum visu maxime gaudent, argenteae effigies opera distinguunt. Regia adeuntibus patet, quum capillum pe-

ctit

ctit atque ornat; tunc responsa legationibus, tunc jura popularibus reddit. Dentis soleis, odoribus illinuntur pedes. Venatus maximus labor est, inclusa vivario animalia inter vota cantusque pellicum figere. Binorum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt majore nixu quam effectu; quippe telum, cujus in levitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit; longior ubi expeditio est, elephantum vehunt currum; et tantarum belluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis pellicum longus ordo sequitur; separatum a reginae ordine agmen est, aequatque luxuria *d*). Feminae epulas parant; ab iisdem vinum ministratur, cujus omnibus Indis largus est usus. Regem mero somnoque sopitum in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium invocantes deos. Quis credat, inter haec vitia curam esse sapientiae? Unum agreste et horridum genus est, quos sapientes vocant *e*). Apud hos occupare fati diem pulchrum; et vivos se cremari jubent, quibus aut segnis aetas, aut incommoda valetudo est; expectatam mortem pro dedecore vitae habent; nec ullus corporibus, quae senectus solvit, honos redditur; inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi, qui in urbibus, publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur, et futura praedicere; nec quemquam admovere leti diem credunt, cui expectare interrito liceat.

a) Aethiopia rhinocerotis patria esse putabatur.

b) commercium gemmarum et margaritarum dicitur vitiorum commercium, quod et gemmae et in primis margaritae luxui effusissimo serviebant.

c) Periphrasis margaritarum, quae non raro, ut margarita Cleopatrae reginae aceto soluta, pretio omnem fidem superante vendebantur.

d) Sc. Reginam.

e) i. e. Gymnosophistae, Brahmanen.

2.

Mors Alexandri.

Curt. X. c. 5.

Moeror circumstantium Alexandri lectum eminebat. Quos ut rex adspexit: *Invenietis, inquit, quum excessero,*
di-

dignum talibus viris regem? Incredibile dictu audituque, in eodem habitu corporis, in quem se composuerat, quum admissurus milites esset, durasse, donec a toto exercitu illo ad ultimum persalutatus est; dimissoque vulgo, velut omni vitae debito liberatus, fatigata membra rejecit. Propiusque adire jussis amicis (nam et vox deficere jam coeperat) detractum anulum digito Perdiccae a) tradidit, adjectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem b) ferri juberet. Quaerentibus his, cui relinqueret regnum? respondit: et, qui esset optimus: ceterum providere jam, ob id certamen magnos funebres ludos c) parari sibi. Rursus Perdicca interrogante, quando caelestes honores haberi sibi vellet? dixit: tum velle, quum ipsi felices essent.

a) Perdiccas, e primis Alexandri M. ducibus.

b) Ad templum Jovis Hammonis, cujus filius haberi voluit Alexander.

c) Praeviderat Alexander, se mortuo bella exarsura, quae ipsi ludorum funebrium instar essent.

Suprema haec vox fuit regis, et paullo post extinguitur. Ac primo ploratu lamentisque et planctibus tota regia personabat; mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant; ad cogitationes, quid deinde futurum esset, dolore converso. Nobiles pueri, custodiae corporis ejus adsueti, nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra vestibulum regiae retinere potuerunt; vagique et furentibus similes totam urbem luctu ac moerore compleverant; nullis quaestibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit. Ergo, qui extra regiam adstiterant, Macedones pariter barbarique concurrunt; nec poterant victi a victoribus in communi dolore discerni. Persae justissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum regem invocantes, certamen quoddam moeroris edebant. Nec moestorum solum, sed etiam indignantium voces exaudiebantur: *tam viridem et in flore aetatis fortunaeque invidia deum, ereptum esse rebus humanis.* Vigor ejus et cultus educantis in proelium milites, obsidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis, occurrebant oculis. Tum Macedones divinos honores negasse ei poenitebat; impiosque et ingratos fuisse se confitebantur, quod aures ejus debita adpellatione fraudassent. Et quum diu, nunc in veneratione, nunc in desiderio regis haesisent, in ipsos versa miseratio est. Macedonia profecti

cti ultra Euphratem; mediis hostibus novum imperium adspersantibus, destitutos se esse cernebant; *sine certo regis herede, sine herede regni, publicas vires ad se quemque tracturum.* Bella deinde civilia, quae sequuta sunt, mentibus augurabantur: *iterum non de regno Asiae, sed de rege, ipsis sanguinem esse fundendum; novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices, senes, debiles, modo petita missione a justo rege, nunc morituros pro potentia forsitan satellitis alicujus ignobilis.*

Has cogitationes volventibus nox supervenit, terroremque auxit. Milites in armis vigilabant; Babylonii alius e muris, alius culmine sui quisque tecti prospectabant: quasi certiora visuri. Nec quisquam lumina audebat accendere, et, quia oculorum cessabat usus, fremitus vocesque auribus captabant; ac plerumque vano metu territi, per obscuras semitas, alius alii occurrentes, invicem suspecti et solliciti ferebantur. Persae, comis suo more detonsis, in lugubri veste, cum conjugibus ac liberis, non ut victorem et modo hostem, sed ut gentis suae justissimum regem vero desiderio lugebant. Adsueti sub rege vivere, non alium, qui imperaret ipsis, digniorem fuisse confitebantur. Nec muris urbis luctus continebatur; sed proximam regionem, ab ea deinde magnam partem Asiae cis Euphratem tanti mali fama pervaserat. Ad Darii quoque matrem celeriter perlata est; abscissa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumsit; laceratisque crinibus humi corpus abjecit. Adsidebat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens; propriasque causas doloris in communi moestitia retractabat. Sed omnium suorum mala Sisygambis una capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat. Crederes modo amissum Darium, et pariter miseræ duorum filiorum exequias esse ducendas. Flebat mortuos simul vivosque. *Quem enim puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum se captas, iterum excidisse regno; qui post Alexandrum respiceret a), utique non reperturas.* Subibat inter haec animum, *octoginta fratres suos eodem die ab Ocho b), saevissimo regum, trucidatos, adjectumque stragi tot filiorum patrem; e septem liberis, quos genuisset ipsa, unum superesse; ipsum Darium floruisse paullisper, ut crudelius posset extingui.* Ad ultimum dolori succumbit, obvolutoque capite accidentes genibus suis neptem nepotemque
aver-

aversata, cibo pariter abstinuit et luce: quinto, postquam mori statuerat, die exstincta. Magnum profecto Alexandro indulgentiae in eam, justitiaeque in omnes captivos, documentum est mors hujus; quae quum sustinuisset post Darium vivere, Alexandro esse superstes erubuit.

a) h. e. se, quam nemo, Alexandro mortuo, sit tuiturus, regia dignitate denuo quasi privatam.

b) Ochus, decessor Darii, filius Artaxerxis Mnemnonis.

3.

Descriptio Syracusarum.

Cic. in Verr. IV. 52.

Urbem Syracusas maximam esse Graecarum urbium pulcherrimamque omnium, saepe audistis. Est, judices, ita, ut dicitur. Nam et situ est, quum munitum ex omni aditu, vel terra, vel mari, praeclaro ad aspectum: et portus habet prope in aedificatione ad spectuque urbis inclusos: qui quum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et conflunt. Eorum conjunctione pars oppidi ea, quae adpellatur Insula, mari disjuncta angusto, ponte rursus adiungitur et continetur. Ea tanta est urbs, ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, Insula: quae duobus portibus cincta in utriusque portus ostium aditumque projecta est: in qua domus est, quae regis Hieronis fuit, qua praetores uti solent. In ea sunt aedes sacrae complures: sed duae, quae longe ceteris antecellunt: Dianae una, et altera Minervae. In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus esset. Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimae porticus; ornatissimum prytaneum, amplissima est curia, templumque egregium Jovis Olympii: ceteraeque urbis partes una lata via perpetua, multisque transversis divisae, privatis aedificiis continentur. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha^a) nominata est, in qua et gymnasium amplissimum est. et complures aedes sacrae: coliturque ea pars et habitatur frequentissime. Quarta autem est urbs,

urbs, quae, quia postrema aedificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum est maximum: praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae *b)* signumque Apollinis pulcherrimum et maximum. Marcellus, quum tam praeclaram urbem vi copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim nihil periculi ostenderetur, delere et extinguere. Itaque aedificiis omnibus, publicis et privatis, sacris et profanis, sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset. In ornatu urbis habuit victoriae rationem, habuit humanitatis. Victoriae putabat esse, multa Romam deportare, quae ornamento urbi esse possent: humanitatis, non plane spoliare urbem, praesertim quam conservare voluisset. In hac partitione ornatus, non plus victoria Marcelli populo Romano adpetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit. Romam quae asportata sunt, ad aedem Honoris atque Virtutis, itemque aliis in locis videmus. Nihil in aedibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano: putavit, si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam ornamento urbi futuram; Syracusis autem permulta atque egregia reliquit: deum vero nullum violavit, nullum attigit.

a) τυχη, fortuna.

b) i. e. Proserpinae.

4.

Descriptio Britanniae.

Tac. in vita Agric. c. 10. sqq.

Britanniae situm populosque, multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curae ingeniive referam; sed quia tum *a)* primum perdomita est; itaque, quae priores, nondum comperta, eloquentia procoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur; Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia ejus, nullis contra terras, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae L. vius veterum, Fabius Rusticus recentium, eloquentissimi au-

ctores, oblongae scutulae vel bipenni adsimilavere; et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa; sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo jam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam, adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas *Orcadas* vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule; quam hactenus nix et hiems abdebat, sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent, ne ventis quidem perinde attolli; credo, quod rariores terrae montesque causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus, neque quaerere hujus operis est, ac multi retulere. Unum addiderim: nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenuis ad crescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et jugis etiam atque montibus inseri velut in suo. Ceterum, Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus, Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, et torti plerumque crines, et posita contra Hispania, Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse, fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt: seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris, positio caeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti, Gallos vicinum solum occupasse, credibile est; eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione: sermo haud multum diversus; in deprecandis periculis eadem audacia; et ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praefereunt, ut quos nondum longa pax emollierit: nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate; quod et Britannorum olim victis evenit: ceteri manent, quales Galli fuerunt. In pedite robur: quaedam nationes et curru proeliantur; honestior auriga; clientes propugnant. Olim regibus parebant; sic per principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus
dua-

duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus; ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum: asperitas frigoribus abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, et nox clara, et extremam Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguuo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, adspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere sed transire, adfirmant; scilicet extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras; infraque caelum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, foecundum; tarde mitescunt, cito proveniunt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum, et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca et liventia; quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli; in Britannia, prout expulsa sint; colligi. Ego facilius crediderim, naturam margaritis deesse, quam nobis avaritiam. Ipsi Britanni delectum, ac tributa, et injuncta imperii munera, impigre obeunt, si injuriae absint; has aegre tolerant, jam domiti, ut pareant, nondum, ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in Rempublicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. *Consilium* id divus Augustus vocabat, Tiberius *praeceptum*. Agitasse C. Caesarem de intranda Britannia, satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, tranvectis legionibus auxiliisque, et adsumto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit; domitiae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

a) per Agrippam.

Agrippinae iter cum reliquiis Germanici.

Tac. Annal. III. c. 1—6.

Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contrasitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, et nescia tolerandi. Interim adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos sequuti, ruere ad oppidum Brundisium; quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, moerentium turba ac rogitantium inter se, silentione, an voce aliqua egredientem exciperent? Neque satis constabat, quid pro tempore foret: quum classis paullatim successit: non alacri; ut adsolet, remigio: sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi, defixit oculos: idem omnium gemitus, neque discerneres, proximos, alienos, virorum, feminarumque planctus: nisi quod comitatum Agrippinae, longo moerore fessum, obvii et recentes in dolore anteibant. Miserat duas praetorias cohortes Caesar a), addito ut magistratus Calabriae, Apulique, et Campani, suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur; praecedebant incomta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, tra-beati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii, et victimas atque aras diis Manibus stauentes, lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Terracinam progressus est cum Claudio fratre, liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules, M. Valerius et C. Aurelius (jam enim magistratum occeperant) et senatus, ac magna pars populi viam complevere, disjecti, et, ut cuique libitum, flentes. Aberat quippe adulatio, gnaris omnibus, laetam Tiberio Germanici mortem male dissimula-

lari. Tiberius atque Augusta publico abstinuere; inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur; an, ne, omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio, ullo insigni officio functam; quum super Agrippinam, et Drusum, et Claudium, ceteri quoque consanguinei nominatim per scripti sint; seu valetudine praepediebatur, seu victus luctu animus, magnitudinem mali perferre visu non toleravit. Facilius crediderim, Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam; ut par moeror, et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquis: plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces. Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, *concidisse rempublicam, nihil spei reliquum*, clamitabant, promptius apertiusque, quam ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam: *quum decus patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen* appellarent: saneque ad caelum ac deos, *integram illi sobolem, ac superstitem iniquorum* precarentur. Fuere, qui publici funeris pompam requirerent, compararentque, quae in Drusum, patrem Germanici, honora et magnifica Augustus fecisset. *Ipsam quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore, simul urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris, cuncta a majoribus reperta, aut quae posteri invenerint, cumulatam.* At Germanico ne solitos quidem, et cuicumque nobili debitos honores contigisse. Sane corpus, ob longinquitatem itinerum, externis terris quoquo modo crematum, sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset. Non fratrem nisi unius diei via, non patruum saltem porta tenuis obvium. Ubi illa veterum instituta? praepositam foro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, et laudationes, et lacrimas, vel doloris imitamenta? Gnarum id Tiberio fuit: utque premeret vulgi sermones, monuit edicto: *Multos illustrium Romanorum ob rempublicam obiisse; neminem tam flagranti desiderio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium; si modus ad-*
Select. Exempl. Vol. I. H jlec-

jiceretur. Non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus, aut civitatibus. Convenisse recenti dolori luctum, et ex moerore solatia: sed referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Julius, amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus, abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis, quoties populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. Principes mortales, rempublicam aeternam esse. Proin repperent solemnia et, quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

a) Tiberius.

6.

Romae incendium.

Tac. Annal. XV. c. 38.

Sequitur clades, forte, an dolo principis, incertum: (nam utrumque auctores prodidere) sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior, atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quae Palatino Coelioque montibus contigua est: ubi per tabernas, quibus mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis, et statim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit; neque enim domus munimentis septae, vel templa muris cincta aut quid aliud morae interjacebat. Impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita adsurgens, et rursum inferiora populando, anteit remedia velocitate mali, et obnoxia urbe arctis itineribus, hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senum aut rudis pueritiae aetas, quique sibi, quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos, aut opperiantur, pars morans, pars festinans, cuncta impediabant; et saepe dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel si in proxima evaserunt, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. Postremo, quid vitarent, quid peterent, ambigui, complere vias, sterni per agros: quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus inopes, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiire. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere pro-

prohibitum, et quia alii palam faces jaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur; sive ut raptus licentius exerceret, seu jussu. Eo in tempore Nero Antii agens, non ante in urbem regressus est, quam domui ejus, qua palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin et palatium, et domus, et cuncta circum haurirentur.

7.

Descriptio morum seu Character Alexandri.

Curt. L. X. c. 5.

Juste aestimantibus regem (*Alexandrum*) liquet, bona naturae ejus fuisse; vitia vel fortunae vel aetatis *a*. Vis incredibilis animi; laboris patientia propemodum nimia; fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum haec sola virtus fuit; liberalitas saepe majora tribuentis, quam a diis petuntur; clementia in devictos, tot regna aut reddita: quibus ea demserat bello, aut dono data; mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contentio, gloriae laudisque ut justo major cupido, ita ut juveni et in tantis admittenda rebus; jam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreverat, Philippum ultus erat: jam in omnes fere amicos benignitas: erga milites benevolentia: consilium par magnitudini animi, et quantum vix poterat aetas ejus capere, solertia; modus immodicarum cupiditatum, ingentes profecto dotes erant. Illa fortunae: diis aequare se, et caelestes honores arcessere, et talia suadentibus oraculis credere, et dedignantibus venerari ipsum, vehementius, quam par esset, irasci; in externum habitum mutare corporis cultum: imitari divictarum gentium mores, quas ante victoriam spreverat. Nam iracundiam et cupidinem vini sicuti juvena irritaverat, ita senectus mitigare potuisset. Fatendum est tamen, quum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae: quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum a morte revocavit? quoties temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit? Vitae quoque finem eundem illi, quem gloriae statuit. Expectavere eum fata, dum oriente perdomito, aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. Huic regi ducique successor quaerebatur: sed major, moles erat, quam ut

unus subire eam posset. Itaque nomen quoque ejus et fama rerum in totum propemodum orbem, reges ac regna diffudit; clarissimique sunt habiti, qui etiam minimae parti tantae fortunae adhaeserunt.

a) h. e. omnibus recte sentientibus de rege persuasum erat, omnes virtutes, quibus insignis fuerat, regi fuisse proprias; vitia vero ejus causae alienae esse tribuenda.

8.

Character Hannibalis.

Liv. L. XXI. c. 4.

Hamilcarem viventem redditum sibi, veteres milites credere; eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris lineamentaue intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilis fuit. Itaque haud facile discerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset; neque Asdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset: neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora: id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato, neque silentio arcessita. Multi saepe, militari sagulo opertum, humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt: vestitus nihil inter aequales excellens: arma atque equi conspiciebantur: princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant; inhumana crudelitas, perfidia plus quam punica; nihil veri, nihil sancti; nullus Deum metus; nullum jusjurandum; nulla religio.

9.

Character Catonis Majoris.

Liv. L. XXXIX, c. 40.

Omnes patricios plebejosque nobilissimarum familiarum M. Portius Cato longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatae, neque publicae rei gerendae, ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis. Idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator: idem, in pace, si jus consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus: nec is tantum, cujus lingua vivo eo vigerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: vivit imo vigetque eloquentia ejus, sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae, et pro aliis, et in alios. Nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo a), fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum, et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi, et linguae acerbae et immodice liberae fuit: sed invicti a cupiditatibus animi, et rigidae innocentiae: contentor gratiae, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregit; qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit, scripseritque: nonagesimo anno Serv. Galbam ad populi adduxerit iudicium.

a) Causam dicebat vel reus vel patronus.

10.

C. Curio.

Vell. Paterc. II. 48.

Bello civili, et tot, quae deinde continuos XX annos consequuta sunt, malis, non alius majorem flagrantior-

rem-

remque a), quam C. Curio b) trib. pleb. subiecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico; cujus animo, voluptatibus vel libidinibus, neque opes ullae, neque cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeji partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica; mox simulatione contra Pompejum et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit; id gratis an accepto centies HS c) fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus; ad ultimum saluberrimas et coalescentes condiciones pacis, quas et Caesar justissimo animo postulabat, et Pompejus aequo recipiebat, discussit ac rupit; unice cavente Cicerone concordiae publicae.

a) Translatio petita a materia arida, ad ignem concipiendum apta. Curio autem Pompejo etiam imperium abrogandum contendens, hunc primum exacerbavit, ut aperte contra Caesarem ageret; deinde Caesarem incitavit, et utrumque artibus suis ita incendit, ut discordiae flamma non nisi bello exstingui posset. Omnia autem mala, quae hoc bellum subsequuta sunt, et ab anno U. c. 704, quo Curio tribunus plebis id excitavit, usque ad pugnam Actiacam U. c. 723. per viginti fere annos continuos rempublicam lacerarunt, ad eum tanquam auctorem merito referuntur.

b) C. Curio, gente sua Scribonia, nobilis.

c) Curionem corruptum fuisse a Caesare, et quidem ab immenso aere alieno liberatum, testantur Appianus, Plutarchus, aliique. Sed centies HS, et quae sunt fere 500000 imperiales, nimis exiguum pretium Curionis corrupti et immani aere alieno oppressi, videtur eruditis, qui sexcenties legendum putant.

11.

M. Tullius Cicero.

Aur. Vict. de viris illust. c. 81.

Marcus Tullius Cicero, genere Arpinas, patre equite Romano natus, genus a Tullo Attico a) rege duxit. Adolescens Rosciano iudicio b) eloquentiam, et libertatem suam adversus Sullanos ostendit: ex quo veritus invidiam, Athenas studiorum gratia petivit, ubi Antiochum, Academicum philosophum, studiose audivit. Inde eloquentiae gratia Asiam, post Rhodum
pe-

petiit, ubi Molonem Graecum, rhetorem tum disertissimum, magistrum habuit; qui flesse dicitur, quod per hunc Graecia eloquentiae laude privaretur. Quaestor Siciliam habuit. Aedilis Cajum Verrem repetundarum damnavit. Praetor Ciliciam latrocinii liberavit. Consul conjuratos capite punivit. Mox invidia P. Clodii, instinctuque Caesaris et Pompeji, quos dominationis suspectos, eadem, qua quondam Sullanos, libertate perstrinxerat, sollicitatis Pisone et Gabinio consulibus, qui Macedoniam Asiamque provincias in stipendium opera hujus *c)* acceperant, in exilium actus; mox ipso referente *d)* Pompejo rediit, eumque civili bello sequutus est.

Quo victo, veniam a Caesare ultro accepit: quo interfecto, Augustum fovit: Antonium hostem judicavit. Et quum Triumviros se fecissent Caesar, Lepidus, Antoniusque, concordia non aliter visa est inter eos jungi posse, nisi Tullius necaretur; qui, immissis ab Antonio percussoribus, quum forte Formiis quiesceret, imminens exitium corvi auspicio didicit, et fugiens occisus est. Caput ad Antonium relatum,

a) Claro Volscorum rege.

b) In quo Sext. Roscium Amerinum parricidii reum contra Sulae dominantis opes egregie defendit.

c) Nimirum, P. Clodii. Pronomen *hic* aliquoties refertur ad remotius.

d) Hoc est: in senatu verba faciente: formula sollemnis.

Idem.

Vell. Paterc. II. o. 34. et 66.

M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae *a)*, et ut vita clarus, ita ingenio maximus *b)*; qui *c)* effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur; consul Sergii Catilinae Lentulique et Cethegi et aliorum utriusque ordinis virorum conjurationem singulari virtute, constantia, vigilia curaque eripuit. Catilina metu consularis imperii urbe pulsus est; Lentulus consularis et praetor iterum, Cethegusque, et alii clari nominis viri, auctore senatu, jussu consulis in carcere necati sunt.

66. Furente Antonio simulque Lepido, quorum uterque hostes judicati erant, quum ambo mallent, sibi nuntiari, quid passi essent, quam quid emeruisent

sent *d*), repugnante Caesare *e*), sed frustra adversus duos uno, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est, abscissaque scelere Antonii vox publica est; quum ejus salutem nemo defendisset, qui per tot annos publicam civitatis et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti M. Antoni (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo et pectore indignatio) nihil, inquam, egisti, mercedem *f*) caelestissimi oris et clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoque funebri *g*) ad conservatoris quondam reipublicae tantique consulis irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam, et aetatem senilem, et vitam miseriorem, te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam; dumque hoc vel forte vel providentia vel utcumque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolome; comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur; tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo genus hominum, quam (*hujus nomen*) cadet.

a) Homo novus et ignobilis, sed dignissimus nobilitate.
b) Facultate, res mente comprehendendi, et oratione optime proponendi.

c) Qui non refertur ad *Cicera*, sed ad *ingenio maximus*.

d) Quum ambo mallet sibi nuntari injurias ex adversariis acceptas (sc. ut justior eos occidendi ipsis sit ratio) quam quid impetrasset, h. e. gratiam, in quam a senatu, auctore Pedio, vel verius Octavio, recepti erant; etc.

e) Sueton. Aug. 27. *In triumviratu restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit.*

f) Triumviri in proscriptionis edicto pro singulorum civium capitibus ingentem pecuniam promiserant.

g) *Auctoramentum* proprie est merces auctorati, h. e. qui se vendidit ad ludum gladiatorium; deinde, omnino pretium, quo se quis cui ad inferendum gladium addixit. *Funebre* est funestum,

Cn. Pompejus Magnus,

Aur. Vict. de viris illust. c. 77.

Cn. Pompejus Magnus, civili bello Sullae partes sequutus, ita egit, ut ab eo maxime diligeretur. Siciliam sine bello a proscriptis recepit. Numidiam, Hiabae ereptam, Masinissae restituit. Viginti sex annos natus triumphavit. Lepidum acta Sullae rescindere volentem privatus Italia fugavit. Praetor in Hispaniam pro consulibus missus Sertorium vicit. Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate nunc in septemtrione Albanos, Colchos, Heniochos *a)* Capsios, Hiberos *b)*: nunc in oriente Parthos *c)* Arabes, atque Judaeos cum magno sui terrore penetravit. Primus in Hircanum, Rubrum et Arabicum mare usque pervenit. Moxque diviso orbis imperio, quum Crassus Syriam, Caesar Galliam, Pompejus urbem obtineret, post caedem Crassi Caesarem dimittere exercitum jussit. Cujus infesto adventu urbe pulsus, in Pharsalia victus, ad Ptolemaeum, Alexandriae regem, fugit. Hujus latus sub oculis uxoris et liberorum a Septimio, Ptolemaei praefecto, mucrone confossum est. Jamque defuncti caput gladio praecisum, quod usque ad ea tempora fuerat ignoratum *d)*. Truncus Nilo *e)* jactatus, a Servio Codro rogo inustus, humatusque est, inscribente sepulcro: HIC POSITUS EST MAGNUS. Caput ab Achilla, Ptolemaei satellite, aegyptio velamina involutum, cum annulo Caesari praesentatum est; qui non continens lacrimas, illud plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit.

a) Populum in ora maris Euxini, in Colchide, regione montosa.

b) Populum ad montem Taurum.

c) Supra sinum Persicum.

d) Ignoratus erat gladii usus in abscindendis capitibus sub republ. libera, quum hanc in rem securibus uterentur. Sub imperatoribus demum usus gladii fuit inventus. v. Lucan. VIII. 672.

e) Poëtica, pro, in Nilum.

Idem.

Vell. Paterc. Lib. II. c. 29. seqq.

Pompeji magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum *a)* narrari jubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque, quae in illam conveniens amplitudinem fortunamque, eum ad ultimum vitae comitata est diem; innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius; potentiae, quae honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus, dux bello peritissimus; civis in toga, (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis: in reconcilianda gratia fidelissimus, et in accipienda satisfactione facillimus; potentia sua numquam aut raro ad impotentiam usus: paene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera, dominaeque gentium *b)*, indignari, quum omnes cives jure haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspiceret. Hic a toga virili aduetus commilitio prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia extulit; ita, ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompejus timeretur validius.

Tum M. Perperna praetorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter coenam Oscae interemit; Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit *c)* facinore. Metellus et Pompejus ex Hispanis triumphaverunt: sed Pompejus hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus, ante diem, quam consulatum iniret, curru urbem invectus est. Quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summum fastigium vectum, iniquo tulisse animo, C. Caesaris in altero consulatu petendo Senatam Populumque R. rationem habere? Adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, et invidiam, rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque *d)* dirigere. Hoc consulatu Pompejus tribunitiam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem inanem reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, LXIV fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes, du.

duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere; mox, crescente in dies multitudine gravibus variisque cladibus adfecere Italiam; quorum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicare acie, XC millia hominum se Romano exercitui opposuerint. Hujus patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox reipublicae omnium principem. Converterat Cn. Pompeji persona totum in se terrarum orbem, et paene homine major existimabatur. Qui quum Cos. perquam laudabiliter jurasset, se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum, idque servasset; post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit, ut cum belli more, non latrocinium, orbem classibus, jam non furtivis expeditionibus, piratae terrerent, quasdam etiam Italiae urbes diripuissent: Cn. Pompejus ad eos opprimendos mitteretur; essetque ei imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus, usque ad quinquagesimum milliarium a mari; quo S. C. paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii praetura decretum erat. Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat. In Antonio homines aequo animo passi erant. Raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur; contra in iis homines extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut desposituri, aut retenturi videntur, et modum in voluntate habent. Dissuadebant optimates; sed consilia impetu victa sunt.

Digna est memoria Q. Catuli quum auctoritas, tum verecundia: qui cum dissuadens legem in concione dixisset: *esse quidem praeclarum virum Cn. Pompejum, sed nimium jam liberae reipublicae, neque omnia in uno reponenda*; adjecissetque: *Si quid huic acciderit e), quem in ejus locum substituetis?* succlamavit universa concio: *Te Q. Catule.* Tum ille victus consensu omnium, et tam honorifico civitatis testimonio a concione discessit. Hic hominis verecundiam, populi justitiam mirari libet: hujus, quod non ultra contendit; plebis, quod dissuadentem, et adversarium voluntatis suae, vero testimonio fraudare noluit. At Cn. Pompejus, multis et praeclaris viris in id bellum adsumtis, descriptoque in omnes recessus maris praesidio navium, brevi, inexsuperabili manu terrarum orbem liberavit: praedonesque per multa maria, multis locis victos circa Ciliciam classe adgressus, fudit

dit ac fugavit; et quo maturius bellum tam late diffusum conficeret, reliquias eorum contractas, in urbibus, remotoque a mari loco, in certa sede constituit. Sunt, qui hoc carpant; sed quamquam in auctore satis rationis est *f)*, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret. Data enim facultate sine rapto vivendi, rapinis arcuit.

Quum esset in fine bellum piraticum, et L. Lucullus, qui ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatem saepe multis locis fuderat, egregia Cyzicum *g)* liberarat victoria, Tigranem, regem maximum *h)* in Armenia, vicerat, ultimamque bello manum paene magis noluerat imponere, quam non potuerat; qui alioqui per omnia laudabilis, et bello paene invictus, pecuniae expugnabatur cupidine, idem bellum adhuc administraret; Manilius tribunus plebis, semper venalis et alienae minister potentiae, legem tulit: ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompejum administraretur. Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores jurgiis; quum Pompejus Lucullo infamiam pecuniae; Lucullus Pompejo interminatam cupiditatem objiceret imperii; neuterque ab eo, quod arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompejus, ut primum ad rem publicam adgressus est, quemquam animo parem tulit; et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat; neque eo viro quisquam aut alio omnia minus, aut gloriam magis concupiit. In adpetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos, ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo; et quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. Et Lucullus, summus alioquin vir, profusae hujus in aedificiis convictibusque et adparatibus luxuriae primus auctor fuit; quem ob injectas moles mari, et receptum subfossis montibus in terras mare haud infacete Magnus Pompejus Xerxen togatum vocare adsueverat.

a) Ejus ingenium et mores.

b) Quae dominatur in *gentes*, in qua vero dominari in *cives* nefas.

c) *Auctorare* est mercede accepta operam suam vendere. Inde h. l. sensus est: tamquam mercedem facinoris quaesivit Romanis certam victoriam.

- d) h. e. invidiae modum non ex causa, in qua ipsi sunt, sed ex voluntate erga aliorum, qui sibi invidi sunt, personas constituere.
- e) Per Euphemismum, pro, si perierit hoc bello.
- f) Ejus, qui id fecit, persona sufficit pro ratione.
- g) Urbs insula Propontidis nobilissima, opulentissima, munitissima, et Romanis amicissima.
- h) Hic Tigranes I. Armeniae rex jure dicitur maximus, quia regnum suum, subactis gentibus finitimis, admodum auxerat, et Seleucidis regibus Ciliciae partem et totam Syriam eripuerat.

13.

C. Julius Caesar.

Aur. Vict. de viris illust. c. 78.

Cajus Julius Caesar, veneratione rerum gestarum Divus dictus, contubernalis Thermo, in Asiam profectus, quum saepe ad Nicomedem, regem Bithyniae, commeret, impudicitiae infamatus est. Mox Dolabellam judicio oppressit a). Dum studiorum causa Rhodum petit, a piratis captus et redemptus, eosdem et postea captos punivit. Praetor Lusitaniam, et post Galliam ab Alpihus usque, et Oceanum bis classe transgressus, Britanniam subegit. Quum b) ei triumphus a Pompejo negaretur, armis eum urbe pulsum in Pharsalia vicit. Capite ejus oblato flevit et honorifice sepeliri fecit: mox a satellitibus Ptolemaei obsessus, eorum et regis nece Pompejo parentavit. Pharnacem, Mithridatis filium, fama nominis fugavit. Jubam et Scipionem in Africa, Pompejos juvenes in Hispania apud Mundam oppidum ingenti proelio vicit. Deinde ignoscendo inimicis odia cum armis deposuit: nam Lentulum c) tantum, et Afranium et Faustum, Sullae filium, jussit occidi. Dictator in perpetuum factus a Senatu in curia, Cassio et Bruto caedis auctoribus, tribus et viginti vulneribus occisus est; cujus corpore pro rostris posito, sol orbem suum celasse dicitur.

a) Errat Victor, Caesar non *oppressit judicio*, h. e. condemnavit Dolabellam, qui quidem repetundarum postulatus a Caesare; at absolutus est, v. *Sueton. Caes. cap. 4.*

b) Non satis adcurata est haec Aurelii de belli civilis initio narratio. Caesar timebat, ne eorum, quae adversus auspici-

cia legesque et intercessionem gessisset, rationem reddere cogitur; ideoque continuare magistratum cupiebat. Sed M. Claudius Marcellus, consul, retulit ad Senatum, ut ei succederetur ante tempus; quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: et ne absentis ratio in comitiis consularibus haberetur. Caesar pacisci quidem cum adversariis cupiebat, sed non audiebatur. Itaque armis agere coepit, et exercitum trans Rubiconem flumen trajecit. V. inf. narrationem eandem ex Suetonio.

c) De Lentulo tacet historia, Suetonius L. Caesarem nominat, Saepius errat Aurelius,

Idem.

Vell. Paterc. L. II c. 41—43.

Sequitur est consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum injicit, et quamlibet festinantem in se morari cogit; hic nobilissima Juliorum genitus familia, et quod inter omnes antiquissimos conatabat, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem eventus magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum; Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem, uteretur; quum fuisset C. Mario sanguine conjunctissimus, atque idem Cinnae gener (cujus filiam ut repudiaret, nullo metu compelli potuit; quum M. Piso consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae dimisisset gratiam), habuissetque fere XVIII. annos eo tempore, quo Sulla rerum potitus est; magis ministris Sullae adiutoribusque partium, quam ipso, conquiritibus eum ad necem, mutata veste, dissimilemque fortunae suae indutus habitum, nocte urbe elapsus esset. Idem postea admodum juvenis, quum a piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab his retentus est, apud eos gessit, ut pariter his terrori venerationique esset, neque unquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur aut discingeretur; in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.

Illud referatur documentum tanti mox evasuri viri. Quae nox eam diem sequuta est, qua publica civitatum pecunia redemptus est, (ita tamen ut cogeret ante obsides a piratis civitatibus dari) contracta classe et privata et tumultuaria *a*), invecus in eum locum, in quo ipsi praedones erant, partem classis fugavit, partem mersit, aliquot naves multosque mortales cepit: laetusque nocturnae expeditionis triumpho ad suos reversus est; mandatisque custodiae, quos ceperat, in Bithynia, perrexit ad proconsulem Junium, petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii; quod quum ille se facturum negasset, venditurumque captivos dixisset (quippe sequebatur invidia inertiam); incredibili celeritate revector ad mare, priusquam de ea re ulli proconsulis redderentur epistolae; omnes, quos ceperat, subfixit cruci.

Idem mox ad sacerdotium ineundum (qui absens pontifex factus erat in Cottae consularis locum, quum, paene puer, a Mario Cinnaque flamen Dialis creatus, victoria Sullae, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur a praedonibus, omnia tunc obtinentibus maria et merito tam infestis sibi, quatuor scalmorum navem una cum duobus amicis decemque servis ingressus, effusissimum Hadriatici maris trajecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum navibus, quum exuisset vestem, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunae parans, mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antennarum praebuisse imaginem. Reliqua ejus acta in urbe, nobilissimaque Dolabellae adcusatio et major civitatis in eo *b*) favor, quam reis praestari solet; contentionesque civiles cum Q. Catulo, atque aliis eminentissimis viris celeberrimae; et ante praetoram victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione Senatus princeps; et restituta in aedilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii, simulque revocati ad jus dignitatis proscriptorum liberi, et praetura quaesturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, (quum esset quaestor sub Vetere Antistio, avo hujus Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium et sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest), quo notiora sunt, minus egent stylo.

- a) h. e. classe privato ausu et raptim contracta.
 b) pro, in eum, scilicet Dolabellam, seu, ut scribit Vellejus, Dolabellam, reum; qui Cotta et Hortensio defendentibus liberatus est.

Idem.

Sueton. 45—75.

45. Fuisse (*Caesar*) traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paullo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera: nisi quod tempore extremo repente animo linqui, atque etiam per somnum exterreri solebat. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt: calvitii vero deformitatem iniquissime ferret, saepe obtreptatorum jocos obnoxiam expertus. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice adsueverat: et ex omnibus decretis sibi a senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit aut usurpavit libentius, quam jus laureae perpetuo gestandae. Etiam cultu notabilem ferunt. Usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura: unde emanasse Sullae dictum, optimates saepius admonentis, ut male praecinctum puerum caverent.

46. Habitavit primo in Suburra modicis aedibus; post autem pontificatum maximum, in sacra via domo publica. Munditiarum lauditiarumque studiosissimum multi prodiderunt. Villam in Nemorensi a fundamentis inchoatam, magnoque sumtu absolutam, quia non tota ad animum ei responderet, totam diruisse, quamquam tenuem adhuc et obaeratum; in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulisse.

47. Britanniam petiisse spe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdum sua manu exegisse pondus. Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparasse; servitia rectora politioraque immenso pretio et cuius ipsum etiam puderet, sic ut rationibus veteret inferri.

48. Convivatum adsidue per provincias duobus tricliniis, uno, quo togati palliative, altero, togati cum il-
 lu.

Iustioribus provinciarum discumberent. Domesticam disciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo severeque rexit, ut pistorem, alium quam sibi panem convivis subjicientem, compedibus vinxerit.

53. Vini parcissimum ne inimici quidem negaverunt. Verbum M. Catonis est: *Unum ex omnibus Caesarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse.* Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum, pro viridi adpositum, adspersantibus ceteris, solum etiam largius dicat adpetisse, ne hospitem aut negligentiae aut rusticitatis videretur arguere.

54. Abstinenciam neque in imperiis neque in magistratibus praestitit. Ut enim quidam monumentis suis testati sunt in Hispania pro consule, et a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium aeris alieni; et Lusitanorum quaedam oppida, quamquam nec imperata detractarent, et adveniendi portas patefacere, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque deum donis referta expilavit: urbes diruit, saepius ob praedam quam ob delictum: unde factum, ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale per Italiam provinciasque divenderet. In primo consulatu tria millia pondo auri furatus e Capitolio, tantum deminuerat aeris reposuit. Societates ac regna pretio dedit: ut qui uni Ptolemaeo prope sex milia talentorum suo Pompejique nomine abstulerit. Postea vero evidentissimis rapinis ac sacrilegiis, et onera bellorum civilium, et triumphorum ac munerum sustinuit impendia.

55. Eloquentia militarique re aut aequavit praestantissimorum gloriam aut excessit. Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis adnumeratus est. Certe Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat se videre, cui debeat Caesar cedere: aitque eum elegantem, splendidam quoque, ac etiam magnificam et generosam quodammodo rationem dicendi tenere. Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: *Quid? oratorum, quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior aut crebrior? Quis verbis aut ornatior aut elegantior?* Genus eloquentiae duntaxat adolescens adhuc Strabonis Caesaris sequutus videtur; cujus etiam ex oratione, quae inscribitur pro Sardis, ad verbum nonnulla transtulit in Divinationem

suam. Pronuntiasset autem dicitur voce acuta, ardenti motu gestuque, non sine venustate.

57. Armorum et equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine nonnunquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria rheda, centena passuum millia in singulos dies, si flumina morarentur, nando trajiciens vel innixus inflatis utribus, ut persaepe nuntios de se praevenerit.

58. In obeundis expeditionibus, dubium, cautior an audentior. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs: neque in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus et navigationem et accessum ad insulam explorasset. At idem obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium Gallico habitu penetravit ad suos. A Brundisio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmissit. Cessantibusque copiis, quas subsequi jusserat, quum ad arcessendas frustra saepe mississet, novissime ipse clam noctu parvulum navigium solus obvoluto capite conscendit: neque aut quis sit, ante detexit, aut gubernatorem cedere adversae tempestati passus est, quam paene obrutus fluctibus.

59. Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absteritus umquam vel retardatus est. Quum in molanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem et Jubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine: *Teneo te, inquit, Africa.* Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix et invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quemdam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitae Solutioni cognomen erat, in castris secum habuit.

60. Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat: ac saepe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, quum minime quis maturum putaret: nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est: quo saepius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans, nihilque se tantum adquisitionum victoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum umquam hostem fudit, quin castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis dabat. Ancipiti proelio equos di-

dimittebat, et in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugae erepto.

61. Utebatur autem equo insigni, pedibus prope humanis, et in modum digitorum unguis fissis: quem natum apud se, quum haruspices imperium orbis terrae significare domino pronuntiassent, magna cura aluit; nec patientem sessoris alterius, primus ascendit: cuius etiam instar pro aede Veneris Genitricis postea dedicavit.

62. Inclinatam aciem solus saepe restituit, obsistens fugientibus, retinensque singulos, et contortis faucibus convertens in hostem: et quidem adeo plerumque trepidos, ut aquilifer moranti se cuspide sit comminatus; alius in manu detinentis reliquerit signum.

63. Non minora illa constantiae ejus, imo majora etiam indicia fuerint. Post aciem Pharsalicam quum praemissis in Asiam copiis, per angustias Hellesponti vectoria navicula trajiceret, L. Cassium partis adversae cum decem rostratis navibus obvium sibi, neque refugit, et cominus tendens, ultro ad deditionem hortatus supplicem ad se recepit.

64. Alexandriae, circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem praecipitantibus quum desiluisset in mare, nando per ducentos passus, evasit ad proximam navem elata laeva, ne libelli, quos tenebat, madeficerent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.

65. Militem neque a moribus neque a fortuna probabat, sed tantum a viribus: tractabatque pari severitate atque indulgentia. Non enim ubique ac semper, sed quum hostis in proximo esset, coërcebat: tum maxime exactor gravissimae disciplinae, ut neque itineris neque proelii tempus denuntiaret; sed paratum et intentum momentis omnibus, quo vellet, subito eduiceret. Quod etiam sine causa plerumque faciebat, praecipue pluvii et festis diebus. Ac subinde observandum se admonens repente interdiu vel nocte subtrahebat: agebatque iter, ut serius subsequentes defatigaret.

66. Fama vero hostilium copiarum perterritos non negando minuendove, sed insuper amplificando, ementiendoque confirmabat. Itaque quum expectatio adventus Jubae terribilis esset, convocatis ad concionem militibus: *Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem ad futuram cum decem legionibus, equitum triginta, levis armaturae*

decem millibus, elephantis trecentis. Proinde desinant quidam quaerere ultro, aut opinari, mihi que, qui comperitum habeo, credant; aut quidem vetustissima nave impositos, quocumque vento, in quascunque terras jubebo avari.

67. Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequabatur: sed desertorum ac seditiosorum et inquisitor et punitor acerrimus, connivebat in ceteris. Ac nonnumquam post magnam pugnam atque victoriam remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciviendi permittebat; jactare solitus, milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse. Nec milites eos pro concione, sed blandiori nomine commilitones adpellabat: habebatque tam cultos, ut argento et auro politis armis ornaret, simul et ad speciem, et quo tenaciores eorum in proelio essent metu damni. Diligebat quoque usque adeo, ut audita clade Tituriana, barbam capillumque submisserit: nec ante demserit, quam vindicasset. Quibus rebus et devotissimos sibi, et fortissimos reddidit.

71. Studium et fides erga clientes ne juveni quidem defuerunt. Masintham nobilem juvenem, quum adversus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut Jubae regis filio in altercatione barbam invaserit, stipendiarium quoque pronuntiatum: et abstrahentibus statim eripuit, occultavitque apud se diu; et mox ex praetura proficiscens in Hispaniam, inter officia prosequentium fascesque lictorum, lectica sua avexit.

72. Amicos tanta semper facilitate, indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio comitanti se per silvestre iter correptoque subita valetudine, et in deversorio loco, quo cubitum ierat, cesserit; et ipse humi et sub divo cubuerit. Jam autem rerum potens quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores provexit. Quum ob id culparetur, professus est palam, *si grassatorum et sicariorum ope in tuenda sua dignitate usus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum.*

73. Simultates contra nullas tam graves exceptit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret. C. Memmii, cujus asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Calvo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac prior scripsit. Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat,

satisfacientem, eadem die adhibuit coenae, hospitioque patris ejus, sicut consuerat, uti perseveravit.

74. Sed et in ulciscendo natura lenissimus. Piratas, a quibus captus est, quum in deditionem redegisset, quoniam subfixurum se cruci ante juraverat, jugulari prius jussit, deinde subfigi. Cornelio Phagitae, cujus quondam nocturnas insidias aeger ac latens, ne perduceretur ad Sullam, vix praemio dato evaserat, numquam nocere sustinuit. Philemonem a manu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam simplici morte puniit.

75. Moderationem vero clementiamque, tum in administratione, tum in victoria belli civilis, admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui reipublicae defuissent; ipse medios et neutrius partis suorum sibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione Pompeji ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, quum adsiduo inter utrasque partes usu atque commercio Afranius ac Petrejus deprehensos intra castra Julianos subita poenitentia interfecissent: admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamavit, ut civibus parceretur; deincepsque nemini non suorum, quem vellet unum partis adversae servare, concessit: nec ulli periisse, nisi in proelio reperientur, exceptis dumtaxat Afranio et Fausto et L. Caesare juvene: ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant; quorum tamen et priores post impetratam veniam rebelnaverant, et Caesar, libertis servisque ejus ferro et igni crudelem in modum enectis, bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat. Denique tempore extremo etiam, quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permisit, magistratusque et imperia capere. Sed et statuas L. Sullae atque Pompeji, a plebe disjectas, reposuit. Ac si qua posthac aut cogitarentur gravius adversus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare. Itaque et detectas conjurationes, conventusque nocturnos non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet, esse sibi notas: et acerbè loquentibus satis habuit pro concione denuntiare, ne perseverarent. Aulique Caecinnae criminosisimo libro, et Phitolai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit.

B. Poëticae,

1.

Descriptio tempestatis in mari.

Ovid. Trist. I. 2.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
 Jam jam tacturos sidera summa putes.
 Quanto diductae subsidunt aequore valles!
 Jam jam tacturas Tartara nigra putes.
 Quocumque adspicias, nihil est, nisi pontus et aër;
 Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
 Inter utrumque fremunt immani turbine venti:
 Nescit, cui domino pareat, unda maris.
 Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu:
 Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
 Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto:
 Nunc Notus adversa proelia fronte gerit.
 Rector in incerto est; nec, quid fugiatve, petatve,
 Invenit; ambiguis ars stupet ipsa malis.
 Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis;
 Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
 Opprimet hanc animam fluctus: frustra que precanti
 Ore necaturas accipiemus aquas.
 At pia nil aliud quam me dolet exule conjux:
 Hoc unum nostri scitque gemitque mali,
 Nescit in immenso jactari corpora ponto:
 Nescit agi ventis: nescit adesse necem.
 Et bene, quod non sum mecum conscendere passus:
 Ne mihi mors misero bis patienda foret!
 At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
 Dimidia certe parte superstes ero.
 Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma!
 Quantus ab aethereo personat axe fragor!
 Nec levius laterum tabulae feriuntur ab undis,
 Quam grave ballistae moenia pulsat onus.
 Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes,
 Posterior nono est, undecimoque prior.

Alia tempestatis in mari descriptio.

Ovid. Met. XI. v. 480. seqq.

Quum mare sub noctem tumidis albescere coepit
 Fluctibus, et praeceps spirare valentius Eurus;
 Ardua, jam dudum, demittite cornua, rector
 Clamat, et antennis totum subnectite velum.
 Hic jubet, impediunt adversae jussa procellae;
 Nec sinit audiri vocem fragor aequoris ullam.
 Sponte tamen properant alii subducere remos;
 Pars munire latus; pars ventis vela negare.
 Egerit hic fluctus; aequorque refundit in aequor:
 Hic rapit antennas. Quae dum sine lege geruntur,
 Aspera crescit hiems; omnique e parte feroces
 Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent.
 Ipse pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur
 Scire ratis rector, nec quid jubeatve, vetetve:
 Tanta mali moles, totaque potentior arte est.
 Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
 Undarum incursu gravis unda, tonitribus aether.
 Fluctibus erigitur, caelumque aequare videtur
 Pontus; et inductas adspergine tingere nubes.
 Et modo, quum fulvas ex imo verrit arenas,
 Concolor est illis; Stygia modo nigrior unda,
 Sternitur in'erdum, spumisque sonantibus albet.
 Ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia a) puppis:
 Et modo sublimis veluti de vertice montis
 Despicere in valles, imumque Acheronta videtur:
 Nunc, ubi demissam curvum circumstetit aequor,
 Susplicere inferno summum de gurgite caelum.
 Saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:
 Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
 Quum laceras aries ballistave concutit arces.
 Utque solent, sumtis in cursu viribus, ire
 Pectore in arma feri praetentaque tela leones:
 Sic, ubi se ventis admiserat unda coortis,
 Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
 Jamque labant cunei, spoliataque tegmine cerae
 Rima patet; praebetque viam letalibus undis.
 Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres:
 Inque fretum credas totum descendere caelum:

Inque plagas caeli tumefactum adscendere pontum.
 Vela madent nimbis, et cum caelestibus undis
 Aequoreae miscentur aquae, caret ignibus aether;
 Caecaque nox premitur tenebris hiemisque, suisque.
 Discutiunt tamen has, praebentque micantia lumen
 Fulmina: fulminis ardescunt ignibus undae.
 Dat quoque jam saltus intra cava texta carinas
 Fluctus: et, ut miles numero praestantior omni,
 Quum saepe adsiluit defensae moenibus urbis,
 Spe potitur tandem, laudisque accensus amore
 Inter mille viros murum tamen occupat unus;
 Sic ubi pulsarunt acres latera ardua fluctus,
 Vastius insurgens decimae ruit impetus undae,
 Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
 Quam velut in captae descendat moenia navis.
 Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum;
 Pars maris intus erat. Trepidant haud secius omnes,
 Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra,
 Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
 Deficit ars, animique cadunt, totidemque videntur,
 Quot veniant fluctus, ruere atque irrumpere mortes.
 Non tenet hic lacrimas: stupet hic: vocat ille beatos,
 Funera quos maneant: hic votis numen adorat,
 Brachiaque ad caelum, quod non videt, irrita tendens
 Poscit opem: subeunt illi fratresque parensque;
 Huic cum pignoribus domus, et quod cuique relictum est.
 *) Coeycis regis, Trachinis in Thessalia.

Alia tempestatis in mari descriptio.

Virg. Aeneid. I. v. 50. seqq.

Talia flammato secum dea corde volutans,
 Nimborum in patriam, loca foeta furentibus Austris,
 Aeoliam venit Hic vasto rex Aeolus antro
 Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
 Imperio premit, ac vinclis, et carcere frenat.
 Illi indignantes, magno cum murmure, montis
 Circum claustra fremunt. Celsa sedet Aeolus arce,
 Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
 Ni faciat maria, ac terras caelumque profundum
 Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
 Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
 Hoc metuens: molemque et montes insuper altos

Imposuit, regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Aeole (namque tibi Divom pater, atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento),
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates.
Incute vim ventis submersasque obrue puppes:
Aut age diversas, et disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae:
Quarum, quae forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo;
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o Regina, quid optes,
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptrum Jovemque
Concilias; tu das epulis adcumbere divum,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspidem montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africanus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum:
Eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether,
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojae sub moenibus altis
Contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis,
Tydide: mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?
Saevus ubi Aeacidarum telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum, galeasque, et fortia corpora volvit.
Talia jactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo praeruptus aquae mons.

Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
 Terram inter fluctus aperit: furit aestus arenis.
 Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet:
 (Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras,
 Dorsum immane mari summo) tres Eurus ab alto
 In brevia et syrtes urget, (miserabile visu!),
 Illiditque vadis, atque aggere cingit arenae.
 Unam quae Lycios, fidumque vehebat Orontem,
 Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
 In puppim ferit; excutitur, pronusque magister
 Volvitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
 Torquet agens circum et rapidus vorat aequore vortex,
 Adparent rari nantes in gurgite vasto,
 Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas.
 Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatae,
 Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Alethes,
 Vicit hiems; laxis laterum compagibus, omnes
 Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Alia tempestatis in mari descriptio.

C. Sil. Ital. XVII. v. 237—283.

¶ Talibus ardentem a) furiis Neptunus ut alto
 Prospexit, vertique rates ad litora vidit,
 Quassans caeruleum genitor caput aequora fundo
 Eruit, et tumidum movet ultra litora pontum.
 Extemplo ventos, imbresque, et rupe procellas
 Concitat Aeolias, ac nubibus aethera condit.
 Tum, penitus telo molitus regna tridenti
 Intima, ab occasu Thetyn impellit et ortu,
 Ac totum Oceani turbat caput. Aequora surgunt
 Spumea, et illisu scopulus tremit omnis aquarum,
 Primus se adtollens Nasamonum sedibus, Auster
 Nudavit syrtim correpta nubilus unda.
 Insequitur sublime ferens nigrantibus alis
 Abruptum Boreas ponti latus: intonat acer
 Discordi flatu, et partem rapit aequoris Eurus.
 Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare
 Fulmina, et in classem ruere implacabile caelum.
 Consensere ignes, nimbique et fluctus, et ira
 Ventorum, noctemque freto imposuere tenebrae.
 Ecce, intorta Noto, veniensque a rupe procella
 Antennae immugit, stridorque immite rudentum

Sibilat, ac similem monti, nigrante profundo,
 Ductoris frangit super ora trementia fluctum.
 Exclamat, volvens oculos caeloque fretoque:
 Felix, o frater; divisque aequate cadendo,
 Hasdrubal! egregium fortis cui dextera in armis
 Pugnanti peperit letum, et cui fata dedere,
 Ausoniam extremo tellurem adprendere morsu.
 At mihi Cannarum campis, ubi Paullus et illae
 Egregiae occubuere animae dimittere vitam
 Non licitum: vel, cum ferrem in Capitolia flammam,
 Tarpejo Jovis ad manes descendere telo.
 Talia dum moeret, diversis flatibus acta
 In geminum ruit unda latus, puppimque sub atris
 Aequoris aggeribus tenuit, ceu turbine mersam.
 Mox nigris altae pulsa exundantis arenae
 Vorticibus, ratis aethereas remeavit ad auras,
 Et fluctus supra, vento librante, pependit.
 At geminas Notus in scopulos atque horrida saxa
 Dura sorte rapit (miserandum et triste) biremes.
 Increpuere ictu progae. Tum murice acuto
 Dissiliens sonuit, rupta compage, carina,
 Hic varia ante oculos facies: natat aequore toto
 Arma inter, galeasque virum, cristasque rubentes,
 Florentis Capuae gaza, et seposta triumpho
 Laurens praeda ducis, tripodes mensaeque deorum,
 Cultaque nequidquam miseris simulacra Latinis.

a) Hannibalem.

3.

Descriptio pestis.

Virg. Georg. III. v. 474. usq. ad finem a).

Tum sciat, aëreas Alpes, et Norica si quis
 Castella in tumultis et lapidis arva Timavi *b)*,
 Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
 Pastorum, et longe saltus lateque vacantes.
 Hic quondam morbo caeli *c)* miseranda coorta est.
 Tempestas, totoque auctumni incanduit aestu;
 Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
 Corruptisque lacus, infecit pabula tabo.
 Nec via mortis erat simplex: sed ubi ignea venis
 Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
 Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque in se.

Os-

Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
 Saepe in honore deum medio stans hostia *d*) ad aram,
 Lanae dum nivea circumdatur infula vitta *e*),
 Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
 Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos;
 Inde neque impositis ardent altaria fibris.
 Nec responsa potest consultus reddere vates:
 Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
 Summaque jejuna sanie infusatur arena.
 Hinc laetis vituli vulgo moriuntur in herbis,
 Et dulces animas plena ad praesepia reddunt.
 Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit aegros
 Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
 Labitur infelix studiorum atque immemor herbae
 Victor equus: fontesque avertitur *f*) et pede terram
 Crebra ferit: demissae aures: incertus ibidem
 Sudor, et ille quidem morituris frigidus; aet
 Pellis et ad tactum tractanti dura resistit.
 Haec ante exitium primis dant signa diebus.

Sin in processu coepit crudescere morbus;
 Tum vero ardentis oculi, atque attractus ab alto
 Spiritus interdum gemitu gravis, imaque longo
 Ilia singultu tendunt; it naribus ater
 Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
 Profuit inserto latices infundere cornu
 Lenaeos *g*): ea visa salus morientibus una.
 Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque relecti
 Ardebant: ipsique suos jam morte sub *h*) aegra
 (Di meliora piis, erroremque hostibus illum!)
 Discissos nudis laniabant dentibus artus.
 Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
 Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem;
 Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
 Moerentem abjungens fraterna morte juvenum;
 Atque opere in medio defixa reliquit aratra.
 Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
 Prata movere animum, non qui per saxa volutus
 Purior electro *i*) campum petit amnis: at ima
 Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes,
 Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
 Quid labor aut benefacta *k*) juvant? quid vomere terras
 Invertisse graves? Atqui non Massica Bacchi
 Munera, non illis epulae nocuere repostae:
 Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae;

Focula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
flumina, nec somnos abrumpit cura salubres.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quaesitas ad sacra boves Junonis, et uris
Imparibus ductos alta ad donaria *m*) currus.
Ergo aegre rastris terram rimantur; et ipsi
Unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus *n*) insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat; acrior illum
Cura domat! timidi *o*) damae, cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris immensi prolem et genus omne natantum *p*)
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.
Interit et curvis frustra defensa latebris
Vipera, et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non aequus, et illac
Praecipites alta vitam sub nube relinquunt.

Praeterea nec jam mutari pabula refert *q*),
Quaesitaeque *q*) nocent artes: cessere magistri, *r*)
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus *s*).
Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone, Morbos agit ante Metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripae, collesque supini.
Jamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo;
Donec humo tegere, ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma.
Nec tondere quidem morbo, illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt adjungere putres *t*).
Verum etiam invisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papulae, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis *u*) edebat.

a) De peste Norica tacent historici, quae grassabatur ab alpi-
bus Noricis per Venetiam et Illyrici partem. Extendebatur Nor-
ricum ab Alpibus ad septentrionem a mari Adriatico ad Da-
nubium: ad occidentem Oeno (Zun) a Vindelicia; ad orien-
tem per montes Cetius a Pannoxia dividebatur.

- b) *Timavus* fluvius olim celebris, in finibus Illyricorum Japidum inter Aquilejam et Tergesten.
- c) Origo pestis erat aestus auctumni. *Tempestas*, Zeit, Witterung. Incipiebat auctumnus ab 11. Augusti, et durabat usque ad occasum Pleiadum 11. Novembris. Seneca, Silius et Ovidius originem pestis etiam ab aestu repetunt. Lucretius VI. 1123. aquas et fruges esse corruptas docet. Vide has descriptiones infra.
- d) Pestis primum corripit, uti et apud Senecam, oves, vitulos canes et sues, deinde equos et boves.
- e) *Infula* erat hostiarum ornamentum ex lana; *vitta* erat fascia albi coloris, qua capiti adligabatur, et cujus extrema hostiae oculos tegebant.
- f) *Fontes avertitur*, hellenismus ἀπορροφῆται το ὕδωρ, pro avertitur a fontibus.
- g) *Latices Lenaeos*, id est, vinum medicinae loco non equis tantum sed etiam bobus infundere solebant.
- h) *Sub morte*, i. e. morti jam proximi.
- i) *Electrum* (ἤλεκτρον, Sonnenstein), erat veteribus Graecis noster Bernstein. Posteriores nomen electri transtulerunt ad artis inventum, et ob similitudinem coloris vocabant hoc nomine metallum, quod oritur, quum argento quinta pars auri admiscetur. Sic Callimachus hymno in Cer. 29.
- — — τα δ ὡς ἤλεκτρον ὕδωρ
 ἐξ ἀμαραν ἀνέδυσ.
- — — wie Elektron blinkendes Wasser
 Sprudelt in Bächen herab.
- Sic. Virg. Aeneid VIII. 402.
Quod fieri ferro liquidove potest electro
 et ibidem v. 624.
Tum laeves ocreas electro auroque recocto.
- k) *Benefactum* uti *beneficium munus, gratia*, eet. dicitur omne illud, quod bene et recte fit.
- l) Revertitur Virgilius a descriptione specifica pestis ad genericam. Vinum *Massicum* est species vini generosissimi Falerni. *Epulae repostae*, i. e. exquisitae.
- m) *Donaria*, Graecis *θησαυροί*, erant templorum repositoria, in quibus ἀναθηματα, dona, donaria adservabantur. In festis Junonis sacerdotis feminae cum sacris vehebantur vaccis albis. Sed in summa penuria vehebantur *uris* (Büffel) iisque et colore et magnitudine imparibus.
- n) *Lues* etiam feras abripit.
- o) *Dama* per licentiam poëticam in genere masculino.
- p) *Natantes* pro piscibus poëticè; ut *latrantes* pro canibus.

- q) *Refert*, prima longa, es nühet, es frömmet. *Quaesitae artes*, multo studio et labore *quaesitae* opponuntur ordinariis morborum remediis.
- r) *Magistri*, (*Muffeher der Hirten*) curabant sanitatem gregum et armentorum.
- s) *Chiron*, Saturni ex *Philyra*, Oceani nata, filius, artem mendendi ope herbarum invenerat, et *Aesculapium* docuit. *Melampus*, *Amythaonis*, qui *Nelei* frater erat, filius, iratos daemones, morborum internorum auctores, placare norat.
- t) *Telae putres non poterat adjungi*, man konnte die morschen Wollfäden nicht anzetteln.
- u) *Papulae*, brennende Blättchen, Hirsblattern, quae tandem in *sacrum ignem*, heiliges Feuer, Antons-Feuer, abeunt, *Sacer ignis* *Plinio* XXVI. 11. dicitur *Zoster*, aliis *Zona* aut *circinus*, qui quum clauditur, enecat. *Celsus* V. 28. 4. distinguit *sacrum ignem* ab *erysipelate* (*Rothlauf*, *Rose*). Pejor et deterior ignis sacri species graveolens dicitur *Therionia*, ex quo oritur *herpes*, qui carnem usque ad ossa exedit et consumit.

Alia pestis descriptio.

Lucret. VI. v. 1123. et seqq.

Hæc igitur subito clades nova, pestilitasque
 Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
 Aut alios hominum pastus, pecudamque cibatus:
 Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso:
 Et quum spiranteis mistas hinc ducimus auras,
 Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
 Consimili ratione venit bubus quoque saepe
 Pestilitas, etiam pecubus balantibus aegror.
 Nec refert, utrum nos in loca deveniamus
 Nobis adversa, et caeli mutemus amictum:
 An caelum nobis ultro natura cruentum
 Deferat, aut aliquid, quo non consuevimus uti,
 Quod nos adventu possit tentare recenti.
 Hæc ratio quondam morborum, et mortifer aestus
 Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros;
 Vastavitque vias, exhaustit civibus urbem.
 Nam penitus veniens, Aegypti e finibus ortus,
 Aëra permensus multum, camposque natanteis,
 Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
 Inde catervatim morbo, mortique dabantur.

Prin-

Principio caput incensum fervore gerebant,
 Et duplicibus oculos suffusa luce rubenteis.
 Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
 Sanguine, et ulceribus vocis via septa coibat:
 Atque animi interpres manabat lingua cruore,
 Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
 Inde ubi per fauceis pectus complerat, et ipsum
 Morbida vis in cor moestum confluxerat aegris;
 Omnia tum vero vitae claustra lababant.

Spiritus ore foras tetrumolvebat odorem,
 Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
 Atque animi prorsum vires totius, et omne
 Languebat corpus: leti jam limine in ipso.
 Intolerabilibusque malis erat anxius angor
 Adsidue comes, et gemitu commista querela.
 Singultusque frequens noctem persaepe diemque
 Corripere adsidue nervos, et membra coactans,
 Dissolvebat eos, defessos ante, fatigans.
 Nec nimio cuiquam posses ardore tueri
 Corporis in summo summam fervescere partem;
 Sed potius tepidum manibus proponere tactum:
 Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
 Corpus, ut est, per membra sacer dum diditur ignis.
 Intima pars homini vero flagrabat ad ossa;
 Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus.
 Nil adeo posset, cuiquam leve, tenveque membris
 Vertere in utilitatem: ad ventum, et frigora semper,
 In fluvios partim gelidos ardentia morbo
 Membra dabant, nudum jacentes corpus in undas:
 Multi praecipites lymphis putealibus alte
 Inciderunt ipso venientes ore patente.
 Insedabiliter satis arida corpora mersans
 Aequabat multum parvis humoribus imbrem.
 Nec requies erat ulla mali: defessa jacebant
 Corpora: mussabat tacito Medicina timore.
 Quippe patentia quom totas ardentia nocteis
 Lumina versarent oculorum expertia somno.

Multaque praeterea mortis tum signa dabantur:
 Perturbata animi mens in moerore metuque;
 Triste supercilium; furiosus voltus et acer:
 Sollicitae porro, pleneaeque sonoribus aures:
 Creber spiritus, ac ingens, raroque coortus:
 Sudorisque madens per collum splendidus humor:
 Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,

Salsaque per fauceis raucas, vix edita tussi.
 In manibus vero nervi trahier, tremere artus:
 A pedibusque minutatim succedere frigus
 Non dubitabat: item ad supremum denique tempus
 Compressae nares; nasi primoris acumen
 Tenve, cavati oculi; cava tempora, frigida pellis
 Duraque: inhorrebat rictum, frons tenta minebat.
 Nec nimio rigida post strati morte jacebant:
 Octavoque fere candenti lumine solis,
 Aut etiam nona reddebant lampade vitam.

¶ Quorum si quis, ut est, vitarat funera leti
 Ulceribus tetris, et nigra proluvie alvi:
 Posterius tamen hanc tabas letumque manebat;
 Aut etiam multus capitis cum saepe dolore
 Corruptus sanguis plenis ex naribus ibat.
 Huc hominis totae vires corpusque fluebat,
 Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
 Exierat, tamen in nervos hunc morbus, et artus.
 Et manibus sine nonnulli, pedibusque, manebant
 In vita tamen, et perdebant lumina partim:
 Usque adeo mortis metus his incesserat acer.
 Atque etiam quosdam cepere obliviam rerum
 Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.

¶ Multaque humi quum inhumata jacerent corpora supra
 Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
 Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem,
 Aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.
 Nec tamen omnino temere illis solibus ulla
 Comparebat avis, nec nocti secla ferarum
 Exhibant silvis: languebant pleraque morbo;
 Et moriebantur: cum primis fida canum vis
 Strata viis animam ponebat in omnibus aegram.
 Extorquebat enim vitam vis morbida membris.

¶ Incomitata rapi certabant funera vasta.
 Nec ratio remedi communis certa dabatur:
 Nam quod aliis dederat vitaleis aëris auras,
 Volvere in ore licere, et caeli templa tueri:
 Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.
 Illud in his rebus miserandum, et magnopere unum
 Aerumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
 Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
 Deficiens animo moesto cum corde jacebat.
 Funera respectans, animam et mittebat ibidem.
 Idque vel in primis cumulabat funere funus:

Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
 Ex aliis alios avidi contagia morbi:
 Nam, quicumque suos fugitabant visere ad aegros,
 Vitaï nimium cupidi, mortisque timentes,
 Poenibat paullo post turpi morte malaque
 Desertos, opis expertels, incuria mactans,
 Lanigeras tamquam pecudes, et buccera secla.

Qui fuerant autem praesto, contagibus ibant
 Atque labore; pudor quem tunc cogebat obire,
 Blandaque lassorum vox mista voce querelae.
 Optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.
 Inque aliis alium populum sepelire suorum
 Certantes, lacrimis lassi, luctuque redibant:
 Inde bonam partem in lectum moerore dabantur.
 Nec poterat quisquam repëriri, quem neque morbus,
 Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.

Praeterea jam pastor, et armentarius omnis,
 Et robustus item curvi moderator aratri,
 Languebat, penitusque casis contrusa jacebant
 Corpora, paupertate, et morbo dedita morti.
 Exanimis pueris super exanimata parentum
 Corpora nonnumquam posses, retroque videre
 Matribus et patribus natos super edere vitam.
 Nec minimam partem ex agris aegroris in urbem
 Confluxit, languens quem contulit agricolarum
 Copia, conveniens ex omni morbida parte.
 Omnia complebant loca, tectaque; quo mage eos tum
 Confertos ita acervatim mors adcumulabat.
 Multa sibi prostrata viam per, proque voluta
 Corpora silanos ad aquarum strata jacebant,
 Interclusa anima nimia ab dulcedine aquai.
 Multaque per populi passim loca promta, viasque
 Languida semianimo tum corpore, membra videres,
 Horrida paedore, et pannis cooperta perire
 Corporis illuvie: pellis super ossibus una,
 Visceribus caecis prope jam, sordique sepulta:

Omnia denique sancta deum delubra replebat
 Corporibus mors exanimis, onerataque passim
 Cuncta cadaveribus caelestium templa manebant,
 Hospitibus loca quae complerant aedituentes.
 Nec jam religio divum nec numina magni
 Pendebantur: enim praesens dolor exsuperabat.
 Nec mors ille sepulturae remanebat in urbe.
 Ut pius hic populus semper consuerat humari;

Perturbatus enim totus trepidabat, et unus quisque suum pro re consortem modestum humabat. Nullaque vis subita, et paupertas horrida suasit. Namque suos consanguineos aliena rogorum Insuper exstructa ingenti clamore locabant, Subdebantque faceis multo cum sanguine saepe Rixantes potius, quam corpora desererentur.

- v. 14—21. Descriptio petita, quae belli Peloponnesii tempore Atticam vastabat. *Ratio morborum*, i. e. causa pestis. *Finis Cecropii et populi Pandionis*, Athenae et Athenienses, *Campi natantes*, mare.
- v. 22—29. Signa et indicia morbi: *calor vehemens*, *oculi rubore suffecti*, *os et lingua suffusa sanguine*, cet. Inde uti morbida vis (das tödtliche Gift) compleverat pectus per fauces, et confluxerat aegris in ipsum cor moestum omnia vitae claustra lababant (war alle Lebenshoffnung verloren).
- v. 30—45. *Quo ritu*, i. e. quo modo. Animi vires et totum corpus languebat, *Corripere nervos*, die Nerven durchzucken, *disolvere nervos*, das Nervensystem zerstören. Nec in quoquam posset cernere, in summo corporis (auf der Oberfläche des Körpers) eundem fervere, seu nimio calore adligi. *Ulcera inusta*, Pestbeule, *diditur* sich vertheilt.
- v. 46—57. Ars medendi victa jacuit. Praeter calorem internum aegroti etiam vehementissima siti vexabantur et insomniis.
- v. 58—70. Signa mortis jam adpropinquantis. *Animi mens*, i. e. mens. *Aures sollicitatae*, *plœnae sonoribus*, die durch das inwendige Säusen gereizten Ohren. *Contacta*, i. e. tincta. *Compressae nares*, verstopfte Nasenlöcher. *Inhorribat rictum*, der Mund stand starr offen.
- v. 71—125. *Exierat* pro effugerat. *Secla ferarum*, i. e. ferarum genera. *Licere*, infinitivus verbi pro substantivo *licentia*. *Templa caeli*, der Horizont, ut et templum auguris. *Deficiens animo*, i. e. animum despondens. *Bucera secla*, i. e. boves.
- v. 126 — usque ad finem. Non tantum in urbe, sed etiam ruri pestis grassabatur. Casae angustae et paupertas accelerabant mortem. Nonnunquam posses videre corpora examinata parentum super exanimis pueris, et retro (*rursus e contrario*) natos efflare vitam super matribus et patribus. *Silani*, Wasserrohren. *Viscera caeca*, significatione passiva (man fand gar kein Fleisch mehr). *Aedituentes*, i. e. aeditui (Kirchenwärter). *Pendebantur*, procurabantur.

Alia pestis descriptio.

Ovid. Met. VII. v. 523. seqq.

Dira lues ira populis Junonis iniquae
 Incidit exosa dictas a pellice a) terras.
 Dum visum mortale malum, tantaeque latebat
 Causa nocens cladis, pugnatum est arte medendi.
 Exitium superabat opem; quae victa jacebat.
 Principio caelum spissa caligine terras
 Pressit, et ignavos inclusit nubibus aestus.
 Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
 Luna, quater plenum tenuata retexit orbem:
 Letiferis calidi spirarunt flatibus Austri.
 Constat et in fontes vitium venisse lacusque:
 Milliaque incultos serpentum multa per agros
 Errasse, atque suis fluvios temerasse venenis.
 Strage canum prima, volucrumque, oviumque boumque,
 Inque feris subiti deprensa potentia morbi.
 Concidere infelix validos miratur arator
 Inter opus tauros, medioque recumbere sulco.
 Lanigeris gregibus, balatus dantibus aegros,
 Sponte sua lanaeque cadunt, et corpora tabent.
 Acer equus quondam magnaеque in pulvere famae,
 Degenerat; palmae veterumque oblitus honorum,
 Ad praesepe gemit, leto moriturus inerti.
 Non aper irasci meminit; non fidere cursu
 Cervae; nec armentis incurrere fortibus ursi.
 Omnia languor habet, silvisque, agrisque, viisque
 Corpora foeda jacent: vitiantur odoribus aerae.
 Mira loquor: non illa canes, avidaeque volucres,
 Non cani tetigere lupi: dilapsa liquescunt;
 Adflatuque nocent, et agunt contagia late.
 Pervenit ad miseros damno graviore colonos
 Pestis, et in magnae dominatur moenibus urbis.
 Viscera torrentur primo: flammaeque latentis
 Indicium rubor est, et ductus anhelitus aegre.
 Aspera lingua tumet; trepidisque amentia venis
 Ora patent: aeraeque graves captantur hiatu.
 Non stratum, non ulla pati velamina possunt:
 Dura sed in terra ponunt praecordia: nec fit
 Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.
 Nec moderator adest: inque ipsos saeva medentes
 Erumpit clades; obsuntque auctoribus artes.
 Quo proprior quisque est, servitque fidelius aegro,
In

In partem leti citius venit. Utque salutis
 Spes abiit: finemque vident in funere morbi;
 Indulgent animis: et nulla, quid utile, cura est;
 Utile enim nihil est. Passim, positoque pudore,
 Fontibus et fluviis, puteisque capacibus haerent:
 Nec sitis est exstincta prius, quam vita, bibendo.
 Inde graves multi nequeunt consurgere, et ipsi
 Immoriuntur aquis: alius tamen haurit et illas.
 Tantaque sunt miseris invisi taedia lecti;
 Prosilium: aut, si prohibent consistere vires,
 Corpora devolvunt in humum; fugiuntque penates
 Quisque suos: sua cuique domus funesta videtur.
 Et quia causa latet, locus est in crimine. Notis
 Semanimes errare viis, tum stare valebant,
 Adspiceres, flentes alios, terraque jacentes;
 Lassaque versantes supremo lumina motu.
 Membraque pendentes tendunt ad sidera caeli,
 Hic ubi mors animam deprnderat exhalantes.

a) Aegina, ex qua Jupiter genuit Aeacum; qui insulam inter
 Atticam et Peloponnesum olim Oenconem aut Oenopiam dictam
 a matre denominavit.

Alia pestis descriptio.

Sen. in Oedipov. v. 37—70, et v. 124—201.

Non aura gelido lenis adflatu fovet
 Anhela a) flammis corda; non Zephyri leves
 Spirant; sed ignes auget aestiferi Canis
 Titan, Leonis terga Nemeaei premens.
 Deseruit amnes humor, atque herbas color,
 Aretque Dirce b); tenuis Ismenus fluit,
 Et tingit inopi nuda vix undâ vada.
 Obscura caelo labitur Phoebi soror:
 Tristisque mundus nubilo pallet novo.
 Nullum serenae noctibus sidus micat;
 Sed gravis et ater incubat terris vapor.
 Obtexit arces caelitem ac summas domos
 Inferna facies; denegat fructum Ceres;
 Adulta et altis flava cum spicis cremat:
 Arente culmo sterilis emoritur seges.
 Nec ulla pars immunis exitio vacat:
 Sed omnis aetas pariter et sexus ruit,
 Juvenesque senibus jungit, et gnatis patres
 Funesta pestis; una fax c) thalamos cremat:

Fle-

Fletuque acerbo funera et questu carent.
 Quin ipsa tanti pervicax clades mali
 Siccavit oculos; quodque in extremis solet,
 Periere lacrimae; portat hunc aeger parens
 Supremum ad ignem; mater hunc amens gerit,
 Properatque, ut alium regerat in eundem rogam,
 Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,
 Suaeque circa funus exsequiae cadunt:
 Tum propria flammis corpora alienis cremant.
 Diripitur ignis; nullus est miseris pudor.
 Non ossa tumuli sancta discreti tegunt.
 Arsisse *d*) satis est; pars quota in cineres abit?
 Deest terra tumulis: jam rogos silvae negant.
 Non vota, non ans ulla correptos levant.
 Cadunt medentes; morbus auxilium trahit,

— — — — —
 Labimur saevo rapiente fato
 Ducitur semper nova pompa morti.
 Longus ad manes properatur ordo
 Agminis moesti seriesque tristis
 Haeret, et turbae tumulos petenti
 Non satis septem patuere portae,
 Stat gravis strages, premiturque juncto
 Funere funus.
 Prima vis tardas tetigit bidentes;
 Laniger pingues male carpsit herbas.
 Colla tacturus steterat sacerdos;
 Dum manus certum parat alta vulnus,
 Aureo taurus rutilante cornu
 Labitur segnis, patuit sub ictu
 Ponderis vasti resoluta cervix.
 Nec cruor ferrum maculavit: atra
 Turpis e plaga sanies profusa est.
 Segnior cursu sonipes in ipso
 Concidit gyro, dominumque pronò
 Prodidit armo,
 Incubant pratis pecudes relictæ:
 Taurus armento pereunte marcet.
 Deficit pastor grege deminuto,
 Tabidos inter moriens juvencos.
 Non lupos cervi metuunt rapaces;
 Cessat irati fremitus leonis;
 Nulla villosis feritas in ursis.
 Perbibit pestem latebrosa serpens;

Aret; et sicco moritur veneno,
 Non silva, sua decorata coma,
 Fundit opacis montibus umbras,
 Non rura virent ubere glebae.
 Non plena suo vitis laccho
 Brachia curvat.
 Omnia nostrum sensere malum.
 Rupere erebi claustra profundi
 Turba sororum face Tartarea:
 Phlegethonque sua motam ripa
 Miscuit undis Styga e) Sidoniis.
 Mors alta avidos oris hiatus
 Pandit, et omnes explicat alas:
 Quique capaci turbida cymba
 Flamina servat durus senior,
 Navita crudus, vix adsiduo
 Brachia conto lassata refert,
 Fessus turbam vectare novam.
 Quin Taenarii vincula ferri
 Rupisse canem fama, et nostris
 Errasse locis; mugisse solum;
 Vaga per lucos simulacra virum
 Majora viris; bis Cadmeum f)
 Nive discussa tremuisse nemus,
 Bis turbatam sanguine Dirceu:
 Nocte silenti Amphionios
 Ululasse canes.
 O dira novi facies leti
 Gravior leto! piger ignavos
 Adligat artus languor; et aegro
 Rubor in vultu; maculaeque caput
 Sparsere leves, tum vapor ipsam
 Corporis arcem flammeus urit;
 Multoque genas sanguine tendit,
 Oculique rigent, et sacer ignis
 Pascitur artus, resonant aures,
 Stillatque niger naris aduncae
 Cruor, et venas rumpit hiantes.
 Intima creber viscera quassat
 Gemitus stridens, tunc amplexu
 Frigida presso saxa fatigant:
 Quos liberior domus elato
 Custode sinit: petit is fontes:
 Aliturque sitis latice ingesto

Prostrata jacet turba per aras,
Oratque mori, solum hoc faciles
Tribuere Dei; delubra petunt
Haut ut voto numina placent,
Sed juvat ipsos satiare Deos.

- a) Aura non refrigerat corda aestuantia. Ardentissimo aestatis tempore exoritur caniculae sidus, sole primam partem Leonis ingrediente.
- b) *Dircen* Lycus, rex Thebarum, Antiopa repudiata, duxit, quae Antiopam in vincula conjecit; quibus illa liberata in Cithaeronem confugit, ubi Amphion et Zetum peperit, qui adulti interfecerunt Lycum; et Dircen, taurorum caudis adligatam, per sentes raptarunt; quae tandem conversa est in fontem. *Ismenus*, fluvius in Boeotia.
- c) Eodem rogo cremabatur maritus et uxor. *Funera carent questu*, quia jam nemo superest, qui funera flect.
- d) Ustulata tantum sunt corpora, non cinefacta.
- e) Miscet aquas infernales aquis Thebanis; Cadmus Sidone venit.
- f) *Cadmeum*, i. e. Thebanum nemus, in quo Cadmus serpentem interfecit, terrae motu tremuisse.

Alia pestis descriptio.

C. Sil. Ital. XIV. v. 580—617.

Nec mora, quin trepidos hac clade irrumpere muros
Signaque ferre Deum templis jam jamque fuisset;
Ni subito importuna lues inimicaque pestis,
Invidia divum pelagique labore, parata,
Polluto, miseris rapuisset gaudia, caelo.
Criniger aestiferis Titan fervoribus auras,
Et patulam Cyanen lateque palustribus undis
Stagnantem Stygio Cocyti opplevit odore,
Temporaque auctumni, laetis florentia donis,
Foedavit, rapidoque accendit fulminis igni.
Fumabat crassus nebulis caliginis aër:
Squalebat tellus, vitiato fervida dorso,
Nec victum dabat, aut ullas languentibus umbras:
Atque ater picea vapor exspirabat in aethra.
Vim primi sensere canes. Mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente volucris:
Inde ferae silvis sterni: tum serpere labes
Tartarea, atque haustis populari castra manipulis.
Aerebat lingua, et gelidus per viscera sudor

Cor-

Corpore manabat tremulo: descendere fauces
 Abnuerant siccae jussorum alimenta ciborum.
 Aspera pulmonem tussis quatit, et peranhela
 Igneus efflatur sitientum spiritus ora.
 Lumina, ferre gravem vix sufficientia lucem,
 Unca nare jacent, saniesque immixta cruore
 Exspuitur, membrisque cutis tegit ossa peresis.
 Heu dolor! insignis notis bellator in armis
 Ignavo rapitur leto. Jactantur in ignem
 Dona superba virum multo Mavorte parata.
 Succubuit medicina malis. Cumulantur acervi
 Labentum, et magno cineres sese aggere tollunt.
 Passim etiam deserta jacent inhumataque late
 Corpora, pestiferos tetigisse timentibus artus.
 Serpit pascendo crescens Acherusia pestis,
 Nec levioere quatit Trinacria moenia luctu,
 Poenorumque parem castris fert atra laborem.
 Aequato par exitio; et communis ubique
 Ira deum, atque eadem leti versatur imago.

Alia pestis descriptio.

Lucan. VI. v. 80—105.

Major cura duces miscendis abstrahit armis:
 Pompejum exhaustae praebenda ad gramina terrae,
 Quae currens attrivit eques, gradibusque citatis
 Ungula frondentem decussit cornea campum.
 Belliger attonsis sonipes diffusus in arvis,
 Advectos cum plena ferant praesepia culmos,
 Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
 Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.
 Corpora dum solvit tabes, et digerit artus,
 Traxit iners caelum fluidae contagia pestis
 Obscuram in nubem, tali spiramine Nesis
 Erigit elisum nebulosis aëra saxis,
 Antraque letiferi rabiem Thyphonis anhelant.
 Inde labant populi, caeloque paratior unda
 Omne pati virus duravit viscera coeno.
 Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:
 Igneaque in voltus, et sacro fervida morbo
 Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
 Jam magis atque magis praiceps agit omnia fatum:
 Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque,
 Sed languor cum morte venit: turbaque cadentum

Aucta lues, tum mixta jacent incondita vivis
 Corpora; nam miseros ultra tentoria civis
 Spargere funus erat. Tamen hos minuere labores
 A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aër,
 Litora que, et plenae peregrina messe carinae.

3.

Portenta futuri luctus in C. J. Caesaris morte.

Ovid. Met. XV. v. 783—802.

Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes,
 Terribilesque tubas, auditaque cornua caelo
 Praemonuisse nefas. Phoebi quoque tristis imago
 Lurida sollicitis praebebat lumina terris.
 Saepe faces visae mediis ardere sub astris:
 Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae;
 Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra
 Sparsus erat, sparsi lunares sanguine currus.
 Tristia mille locis stygius dedit omina bubo:
 Mille locis lacrimavit ebur, cantusque feruntur
 Auditi; sanctis et verba minacia lucis.
 Victima nulla litat: magnosque instare tumultus
 Fibra monet: caesumque caput reperitur in extis:
 Inque foro, circumque domos, et templa deorum
 Nocturnos ululasse canes, umbrasque silentium
 Erravisse ferunt, motamque tremoribus urbem.
 Non tamen insidias venturaque vincere fata
 Praemonitus potuere deum: strictique feruntur
 In templum gladii: neque enim locus ullus in urbe
 Ad facinus diramque placet, nisi curia, caedem.

4.

Portenta post C. J. Caesaris mortem.

Virg. Georg. I. v. 463—497.

— — — Solem quis dicere falsum
 Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
 Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
 Ille etiam extincto miseratus Caesare Roman,
 Quom caput obscura nitidum ferrugine textit,
 Impiaque aeternam timuerunt secula noctem:
 Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti,
 Obscoenique canes, importunaeque volucres
 Signa dabant. Quotiens Cyclopum effervere in agros
 Vi.

Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
 Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa!
 Armorum sonitum toto Germania caelo
 Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes;
 Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
 Ingens et simulacra modis pallentia miris
 Visa sub obscurum noctis; pecudesque loquatae,
 Infandum! sistunt amnes, terraeque dehiscunt:
 Et moestum lacrimat templis ebur, aeraque sudant:
 Proluit insano contorquens vortice silvas
 Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
 Cum stabulis armenta tulit; nec tempore eodem
 Tristibus aut extis fibrae adparere minaces,
 Aut puteis manare cruor cessavit, et altae
 Per noctem resonare lupis ululantibus urbes;
 Non alias caelo ceciderunt plura sereno
 Fulgura, nec diri totiens arsere cometae.

Ergo inter sese paribus concurrere telis
 Romanas acies iterum videre Philippi;
 Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
 Emathium et latos Haemi pinguescere campos.
 Scilicet et tempus veniet, quom finibus illis
 Agricola, incurvo terram molitus aratro,
 Exesa inyeniet scabra rubigine pila,
 Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
 Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

5.

Descriptio domus Invidiae.

Ovid. Met. II. v. 760—782.

Protenus (*Pallas*) Invidiae nigro squalentia tabo
 Tecta petit. Domus est imis in vallibus antri
 Abdita, sole carens, non ulli pervia vento;
 Tristis, et ignavi plenissima frigoris; et quae
 Igne vacet semper, caligine semper abundet.
 Huc ubi pervenit bello metuenda virago;
 Constitit ante domum (neque enim succedere tectis
 Fas habet) et postes extrema cuspide pulsat.
 Concussae patuere fores. Videt intus edentem
 Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
 Invidiam: visaque oculos avertit. At illa
 Surgit humo pigra, semesarumque relinquit
 Corpora serpentum, passuque incedit inerti.

Ut

Utque deam vidit formaque armisque decoram,
 Ingemuit: vultumque ima ad suspiria duxit.
 Pallor in ore sedet; macies in corpore toto;
 Nusquam recta acies: vivent rubigine dentes:
 Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno.
 Risus abest; nisi quem visi movere dolores.
 Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis;
 Sed videt ingratos, intabescitque videndo,
 Successus hominum: carpitque, et carpitur una:
 Suppliciumque suum est. — — —

6.

Descriptio Famis.

Ovid. Met. VIII. v. 799 — 808.

Quaesitamque Famem ^{a)} lapidoso vidit in agro,
 Unguibus, et raris vellentem dentibus herbas.
 Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
 Labra incana situ, scabrae rubigine fauces;
 Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
 Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
 Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
 Pectus: et a spinae tantummodo crate teneri.
 Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
 Orbis, et immodico prodibant tubere tali.

^{a)} Oreas a Cerere ad Famem quaerendam mittitur, ut puniat
 Erisichthonem, qui arborem Cereri sacram impius succiderat.

7.

Descriptio domus Somni.

Ovid. Met. XI. v. 593 — 615.

Est prope Cimmerios longe spelunca recessu,
 Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni:
 Quo numquam radii oriens mediusve cadensve
 Phoebus adire potest. Nebulae caligine mistae
 Exhalantur humo, dubiaeque crepuscula lucis,
 Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
 Evocat Auroram; nec voce silentia rumpunt
 Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
 Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
 Humanaeve sonum reddunt convicia linguae.
 Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo

Rivus aquae Lethes : per quem cum murmure labens
 Invitat somnos crepitantibus unda lapillis,
 Ante fores antri fecunda papavera florent,
 Innumeraeque herbae; quarum de lacte soporem
 Nox legit, et spargit per opacas humida terras,
 Janua, quae verso stridorem cardine reddat,
 Nulla domo tota; custos in limine nullus.
 At medio torus est, ebene sublimis in atra
 Plumbeus, atricolor, pullo velamine tectus;
 Quo cubat ipse deus, membris languore solutis.
 Hunc circa passim, varias imitantia formas,
 Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
 Silva gerit frondes, ejectas litus arenas.

8.

Descriptio vitae rusticae cum urbana comparatae.

Virg. Georg. II. v. 458 — 532.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
 Agricolas, quibus ipsa, procul discordibus armis,
 Fundit humo facilem victum justissima tellus!
 Si non ingentem foribus domus alta superbis
 Mane salutantum totis vomit aedibus undam,
 Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
 Illusasque auro vestes, Ephyreiaque aera;
 Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
 Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.
 At secura quies, et nescia fallere vita,
 Dives opum variarum: at latis otia fundis,
 Speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe,
 Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
 Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,
 Et patiens operum parvoque adsueta juvenus,
 Sacra deum, sanctique patres. Extrema per illos
 Justitia excedens terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
 Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
 Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,
 Defectus solis varios, lunaeque labores;
 Unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant
 Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;
 Quid tantum oceano properent se tingere soles
 Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

Sin,

Sin, has ne possim naturae accedere partes,
 Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis;
 Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
 Flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi,
 Spercheosque, et virginibus bacchata Lacacnis
 Taygeta; o qui me gelidis in vallibus Haemi
 Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
 Atque metus omnes et inexorabile fatum
 Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
 Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes,
 Panaque, Silvanumque senem, Nymphasque sorores.
 Illum non populi fasces non purpura regum
 Flexit, et infidos agitans discordia fratres,
 Aut conjurato descendens Dacus ab Histro;
 Non res Romanae, perituraque regna: neque ille
 Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
 Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
 Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea jura,
 Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
 In ferrum, penetrant aulas et limina regum:
 Hic petit excidiis urbem miserisque penates,
 Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro:
 Condit opes alius, defossoque incubat auro:
 Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiantem
 Per cuneos (geminatus enim plebisque patrumque)
 Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum.
 Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
 Atque alto patriam quaerunt sub sole jacentem.

Agricola incurvo terram dimovit aratro:
 Hic anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
 Sustinet; hinc armenta bouum meritosque juvencos.
 Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
 Aut foetu pecorum, aut cerealis mergite culmi,
 Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
 Venit hiems? teritur Sicyonia bacca trapetis;
 Glande sues lacti redeunt; dant arbuta silvae;
 Et varios ponit foetus auctumnus, et alte
 Mitis in apricis coquitur vindemia saxi,
 Interea dulces pendent circum oscula nati;
 Casta pudicitiam servat domus: ubera vaccae
 Lactea demittunt; pinguesque in gramine laeto
 Inter se adversis luctantur cornibus haedi.

Ipsæ dies agitat festos; fususque per herbam,
 Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
 Te libans, Lenææ, vocat; pecorisque magistris
 Velocis jaculi certamina ponit in ulmo:
 Corporaque agresti nudant prædura palæstræ.

.9.

*Vestibulum inferorum.**Virg. Aeneid. VI. v. 273—316.*

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,
 Lucus et ultrices posuere cubilia Curæ;
 Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
 Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas,
 Terribiles visu formæ, Letumque, Labosque;
 Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
 Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum.
 Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens
 Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
 In medio ramos annosaque brachia pandit
 Ulmus opaca ingens, quam sedem Somnia vulgo
 Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
 Multaque præterea variarum, monstra ferarum,
 Centauri in foribus stabulant, Scyllæque bifformes,
 Et centum geminus Briareus, ac bellua Lænae
 Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,
 Gorgones, Harpiaeque et forma tricorporis umbræ.
 Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
 Aeneas, strictamque aciem venientibus offert;
 Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
 Admoneat volitare cava sub imagine formæ;
 Irruat et frustra ferro diverberet umbras.

Hinc via Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:
 Turbidus hic coeno vastaque voragine gurgis
 Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
 Portitor has horrendus aquas et flumina servat
 Terribili squalore Charon, cui plurima mento
 Canities inculta jacet; stant lumina flamma;
 Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
 Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat;
 Et ferruginea subvectat corpora cymba;
 Jam senior, sed cruda deo viridisque senectus.
 Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat:

Ma-

Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
 Magnanimùm heroum, pueri, inuptaeque puellae,
 Impositique rogis juvenes ante ora parentum:
 Quam multa in silvis auctumni frigore primo
 Lapsa cadunt folia; aut ad ferram gurgite ab alto
 Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
 Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
 Stabant orantes primi transmittere cursum,
 Tendebantque manus, ripae ulterioris amore;
 Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos,
 Ast alios longe submotos, arcet arena.

10.

Scelerum poenae apud inferos.

Virg. Aeneid. VI. v. 548—627.

Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
 Moenia lata videt, triplici circumdata muro,
 Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
 Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
 Porta adversa, ingens solidoque adamante columnae,
 Vis ut nulla virùm, non ipsi excindere ferro
 Caelicolae valeant: stat ferrea turris ad auras;
 Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
 Vestibulum exsomnia servat noctesque diesque.
 Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare
 Verbera: tum stridor ferri, tractaeque catenae.
 Constitit Aeneas, strepitumque exterritus hausit:
 Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
 Urgentur poenis, qui tantus plangor ad auras?
 Tum vates sic orsa loqui: Dux inclite Teucrum,
 Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
 Sed me, quum lucis Hecate praefecit Avernis,
 Ipsa deùm poenas docuit, perque omnia duxit,
 Gnoscis haec Rhadamantus habet durissima regna,
 Castigatque auditque dolos, subigitque fateri:
 Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
 Distulit in seram commissa piacula mortem.
 Continuo sontes ultrix accincta flagello
 Tisiphone quatit insultans; tortosque sinistra
 Intentans angues, vocat agmina saeva sororum.
 Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
 Panduntur portae. Cernis custodia qualis

Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
 Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
 Saevior intus habet sedem: tum Tartarus ipse
 Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
 Quantum ad aethereum caeli suspectus Olympum.
 Hic genus antiquum terrae, Titania pubes,
 Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
 Hic et Aloidas, geminos, immania vidi
 Corpora, qui manibus magnum rescindere caelum
 Adgressi, superisque Jovem detrudere regnis.
 Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas,
 Dum flammis Jovis et sonitus imitatur Olympi.
 Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans
 Per Grajum populos mediaeque per Elidis urbem
 Ibat ovans, divumque sibi poscebat honorem:
 Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
 Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
 At pater omnipotens densa inter nubila telum
 Contorsit; non ille faeces, nec fumea taedis
 Lumina; praecipitemque immani turbine adëgit.
 Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
 Cernerë erat: per tota novem cui jugera corpus
 Porrigitur; rostroque immanis vultur obunco
 Immortale jecur tondens fecundaque poenis
 Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
 Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.
 Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque,
 Quos supra atra silex jam jam lapsura cadentique
 Imminet adsimilis? Lucent genialibus altis
 Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
 Regifico luxu: Furiarum maxima juxta
 Adcubat, et manibus prohibet contingere mensas:
 Exsurgitque, facem attollens, ac intonat ore.
 Hic quibus invisī fratres, dum vita manebat,
 Pulsatusve parens, aut fraus innexa clienti;
 Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
 Non partem posuere suis, quae maxima turba est;
 Inclusi poenam, exspectant. Nec quaere doceri,
 Quam poenam, aut quae forma viros fortunave mersit,
 Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum
 Districti pendent: sedet, aeternumque sedebit,
 Infelix Theseus: Phlegyasque miserrimus omnes
 Admonet, et magna testatur voce per umbras.
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
 Imposuit; fixit leges pretio, atque refixit.
 Ausi omnes immane nefas ausoque potiti.
 Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
 Ferrea vox: omnes scelerum comprehendere formas,
 Omnia poenarum percurrere nomina possim.

11.

Descriptio Elysii.

Virg. Aeneid. VI. v. 637—665.

His demum exactis, perfecto munere divae,
 Devenere a) locos laetos, et amoena vireta
 Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
 Largior hic campos aether et lumine vestit
 Purpureo; solemque suum, sua sidera, norunt.
 Pars in gramineis exercet membra palaestris;
 Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
 Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
 Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
 Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
 Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
 Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
 Magnanimi heroës, nati melioribus annis,
 Illusque, Assaracusque, et Trojae Dardanus auctor.
 Arma procul currusque virum miratur inanes.
 Stant terra defixae hastae; passimque soluti
 Per campos pascuntur equi. Quae gratia curruum
 Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes
 Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
 Conspicit ecce alios dextra laevaue per herbam
 Vescentes laetumque choro Paëana canentes.
 Inter odoratum lauri nemus, unde superne
 Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
 Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi,
 Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
 Quique pii vates et Phoëbo digna loquuti,
 Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
 Quique sui memores alios fecere merendo:
 Omnibus his nivea cinguntur tempora vitæ.

a) Aeneas cum Sibylla.

Descriptio venationis jussu Didonis adparatae.

Virg. Aeneid. IV. v. 129—159.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit,
 It portis, jubare exorto, delecta juvenus;
 Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
 Massylisque ruunt equites, et odora canum vis.
 Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
 Poenorum exspectant, ostrôque insignis et auro
 Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
 Tandem progreditur, magna stipante caterva,
 Sidoniam pictaq; chlamydem circumdata limbo;
 Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
 Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
 Nec non et Phrygii comites, et laetus Iulus
 Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnes
 Infert se socium Aeneas, atque agmina jungit.
 Qualis, ubi hybernâ Lyciam, Xanthique fluenta
 Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
 Instauratque choros; mistique altaria circum
 Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi^{a)}:
 Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
 Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
 Tela sonant humeris. Haud illo signior ibat
 Aeneas: tantum egregio decus enitet ore.
 Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra:
 Ecce ferae saxi dejectae vertice caprae
 Decurrere jugis: alia de parte patentes
 Transmittunt cursu campos, atque agmina cervi
 Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.
 At puer Ascanius mediis in vallibus acri
 Gaudet equo, jamque hos cursu, jam praeterit illos;
 Spumantemque dari pecora inter inertia votis
 Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

a) Dryopes incolebant Epirum; Agathyrsi erant Seythae in Sarmatia Europaea ad Maeoticam paludem.

Tristia Laocoontis fata.

Virg. Aen. II. v. 201—233.

Laocon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
 Solemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
 Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
 (Horresco referens) immensis orbibus angues
 Incumbunt pelago; pariterque ad litora tendunt;
 Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubaeque
 Sanguineae exsuperant undas: pars cetera pontum
 Pone legit, sinuantque immensa volumine terga.
 Fit sonitus, spumante salo; jamque arva tenebant;
 Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
 Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
 Diffugimus visu exsanguis. Illi agmine certo
 Laocoonta petunt; et primum parva duorum
 Corpora natorum serpens amplexus uterque
 Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
 Post, ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem
 Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et jam
 Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
 Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
 Ille simul manibus tendit divellere nodos,
 Perfusus sanie vittas atroque veneno;
 Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
 Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
 Taurus, et incertam excussit cervice securim.
 At gemini lapsu delubra ad summa dracones
 Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem;
 Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur,
 Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
 Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem
 Laocoonta ferunt: sacrum qui cuspide robur
 Laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
 Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque Divae
 Numina, conclamant.

Trojae halosis.

Petron. 39.

Jam decuma moestos, inter ancipites metus,
 Phrygas obsidebat messis, et vatis fides
 Calchantis atro dubia pendeat metu;
 Quum, Delio profante, caesi vertices
 Idae trahuntur, scissaque in molem cadunt
 Robora, minacem quae figurarent equum.
 Operitur ingens claustrum, et obducti specus,
 Qui castra caperent. Huc decenni proelio
 Irata virtus abditur: stipant graves
 Equi recessus Danaï, et in voto latent.
 O patria! pulsas mille credidimus rates,
 Solumque bello liberum: hoc titulus fero
 Incisus, hoc ad fata compositus Sinon
 Firmabat, et mendacium in damnum potens.
 Jam turba portis libera ac bello carens
 In vota properant: fletibus manant genae,
 Mentisque pavidæ gaudium lacrimas habet,
 Quas metus abegit. Jamque Neptuno sacer,
 Crinem solutus, omne Laocoon replet
 Clamore vulgus; mox reducta cuspide
 Uterum notavit: facta sed tardant manus,
 Ictusque resilit, et dolis addit fidem.
 Iterum tamen confirmat invalidam manum,
 Altaque bipenni latera pertentat. Fremit
 Captiva pubes intus, et, dum murmurat,
 Roborea moles spirat alieno metu.
 Ibat Juventus capta, dum Trojam capit,
 Bellumque totum fraude ducebat nova.
 Ecce alia monstra! Celsa qua Tenedos mare
 Dorso repellit, tumida consurgunt freta,
 Undaque resultat scissa tranquillo minor,
 Qualis silente nocte remorum sonus
 Longe refertur; quum premunt classes mare,
 Pulsumque marmor, abiete imposita, gemit.
 Respicimus, angues orbibus geminis ferunt
 Ad saxa fluctus: tumida quotum pectora,
 Rates ut altae, lateribus spumas agunt:
 Dat cauda sonitum: liberae pontum jubae
 Consentiant luminibus, fulmineum jubar

Incendit aequor, sibilisque undae tremunt :
 Stupere mentes. Infulis stabant sacri
 Phrygioque cultu, gemina nati pignora
 Laocoonte, quos repente tergoribus ligant
 Angues corusci: parvulas illi manus
 Ad ora referunt, neuter auxilio sibi,
 Uterque fratri: transtulit pietas vices,
 Morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.
 Adcumulat, ecce! liberam funus parens,
 Infirmus auxiliator; invadunt virum,
 Jam morte pasti membraque ad terram trahunt.
 Jacet sacerdos inter aras victima.
 Terramque plangit. Sic profanatis sacris,
 Peritura Troja perdidit primum deos.
 Jam plena Phoebe candidum extulerat jubar
 Minora ducens astra radianti face,
 Quum inter sepultos Priamidas nocte et mero
 Danai relaxant claustra, et effundunt viros.
 Tentant in armis se duces, ceu, ubi solet
 Duro remissus, Thessali quadrupes jugo
 Cervicem et altas quaterre ad excursum jubas.
 Gladios retractant, commovent orbes manu:
 Bellumque sumunt. Hic graves alius mero
 Obtruncat, et continuat in mortem ultimam
 Somnos: ab aris alius accendit faces;
 Contraque Troas invocat Trojae sacra.

 IV. F a b u l a e.

Lupus et Agnus.

Phaed. Lib. I. 1.

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant,
 Siti compulsi. Superior stabat lupus,
 Longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
 Latro incitatus jurgii causam intulit.

Cur,

Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
 Istam bibenti? Laniger contra timens:
 Qui possum, quaeso, quod quereris, lupe?
 A te decurrit ad meos haustus liquor.
 Repulsus ille veritatis viribus,
 Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
 Respondit agnus: Equidem natus non eram.
 Pater, Hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.
 Atque ita correptum lacerat injusta nece.
 Haec propter illos scripta est homines fabula,
 Qui fictis causis innocentes opprimunt.

Graculus superbus.

Lib. I. 3.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
 Suoque potius habitu vitam degere,
 Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
 Tumens inani graculus superbia,
 Pennas, pavoni quae deciderant, sustulit,
 Seque exornavit: deinde contemnens suos,
 Formoso se pavonum immiscuit gregi.
 Illi impudenti pennas eripiunt avi,
 Fugantque rostris. Male mulcatus graculus
 Redire moerens coepit ad proprium genus;
 A quo repulsae tristem sustinuit notam.
 Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
 Contentus nostris si fuisses sedibus,
 Et quod natura dederat, voluisses pati;
 Nec illam expertus esses contumeliam,
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

Canis per fluvium carnem ferens.

Lib. I. 4.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
 Canis, per flumen carnem dum ferret natans,
 Lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
 Aliamque praedam ab alio ferri putans,
 Eripere voluit. Verum decepta aviditas,
 Et, quem tenebat ore, demisit cibum,
 Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

Vas-

Vacca, Capella, Ovis et Leo.

Lib. I. 5.

Numquam est fidelis cum potente societas,
 Testatur haec fabella propositum meum.
 Vacca, et capella, et patiens ovis injuriae,
 Socii fuere cum leone in saltibus.
 Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
 Sic est loquutus, partibus factis, leo:
 Ego primam tollo, nominor quia leo,
 Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi,
 Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia.
 Malo adfligetur, si quis quartam tetigerit.
 Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

Lupus et Gruis.

Lib. I. 8.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
 Bis peccat, primum, quoniam indignos adjuvat:
 Impune abire deinde quia jam non potest.
 Os devoratum fauce quum haereret lupi,
 Magno dolore victus, coepit singulos
 Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
 Tandem persuasa est jurejurando gruis,
 Gulaeque credens colli longitudinem,
 Periculosam fecit medicinam lupo.
 Pro quo quum facto flagitaret praemium:
 Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
 Incolume abstuleris, et mercedem postules.

Lupus et Vulpes judice Simio.

Lib. I. 10.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
 Etiam si verum dicit, amittit fidem.
 Hoc attestatur brevis Aesopi fabula.
 Lupus arguebat vulpem furti crimine,
 Negabat illa, se esse culpae proximam.
 Tunc judex inter illos sedit simius.
 Uterque causam quum perorassent suam,
 Dixisse fertur simius sententiam:

Tu non videris perdidisse, quod petis;
Te credo surripuisse, quod pulchre negas.

Asinus et Leo venantes.

Lib. I. 11.

Virtutis expers verbis jactans gloriam
Ignotos fallit, notis est derisui.
Venari asello comite quum vellet leo,
Contextit illum frutice, et admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subitum totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo impetu.
Qui postquam caede fessus est, asinum evocat,
Jubetque vocem premere. Tunc ille insolens,
Qualis videtur tibi opera haec vocis meae?
Insignis, inquit, sic ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fuisset in metu.

Cervus cornibus impeditus.

Lib. I. 12.

Laudatis utiliora, quae contemseris,
Saepe inveniri, haec exserit narratio.
Ad fontem cervus, quum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excipit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Ut illa mihi profuerint, quae despexeram,
Et quae laudaram, quantum luctus habuerint!

Vulpes et Corvus.

Lib. I. 13.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
 Serae dant poenas turpes poenitentiae.
 Quum de fenestra corvus raptum caseum
 Comesse vellet, celsa residens arbore,
 Hunc vidit vulpes, dehinc occoeptit loqui:
 O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
 Quantum decoris corpore et vultu geris!
 Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
 At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
 Emisit ore caseum, quem celeriter
 Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
 Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.
 Hac re probatur, ingenium, quantum valet
 Virtute, ita semper praevallet sapientia.

Ovis, Canis et Lupus.

Lib. I. 17.

Solent mendaces luere poenas malefici.
 Calumniator ab ove quem peteret canis,
 Quem commodasse panem se contenderet:
 Lupus citatur testis, non unum modo
 Debere dixit, verum adfirmat decem.
 Ovis damnata falso testimonio,
 Quod non debebat, solvit. Post paucos dies
 Bidens jacentem in fovea prospexit lupum.
 Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

Canis parturiens.

Lib. I. 19.

Habent insidias hominis blanditiae mali,
 Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
 Canis parturiens, quum rogasset alteram,
 Ut foetum in ejus tugurio deponeret,
 Facile impetravit. Dein reposcenti locum
 Preces admovit, tempus exorans breve,
 Dum firmiores catulos posset ducere.
 Hoc quoque consumpto, flagitare validius
 Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
 Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

Leo senio confectus.

Lib. I. 21.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
 Ignavis etiam jocus est in casu gravi.
 Delectus annis et desertus viribus
 Leo quum jaceret, spiritum extremum trahens;
 Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
 Et vindicavit ictu veterem injuriam.
 Infestus taurus mox confodit cornibus
 Hostile corpus. Asinus ut vidit ferum
 Impune laedi, calcibus frontem exerit,
 At ille expirans: Fortes indigne tuli
 Mihi insultare: te, naturae dedecus,
 Quod ferre certe cogor, his videor mori.

Rana rupta.

Lib. I. 24.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
 In prato quondam rana conspexit bovem,
 Et tacta invidia tantae magnitudinis,
 Rugosam inflavit pellem. Tum natos suos
 Interrogavit, an bove esset latior?
 Illi negarunt. Rursus intendit cutem
 Majore nisu, et simili quaesivit modo,
 Quis major esset? Illi dixerunt, bovem.
 Novissime indignata, dum vult validius
 Inflare sese, rupto jacuit corpore.

Vulpes et Ciconia.

Lib. I. 26.

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
 Mulcandum simili jure, fabella admonet.
 Vulpes ad coenam dicitur ciconiam
 Prior invitasse, et illi in patena liquidam
 Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
 Gustare esuriens potuerit ciconia.
 Quae vulpem quum revocasset, intrito cibo,
 Plenam lagenam posuit: huic rostrum inserens,
 Satiatur ipsa: torquet convivam fame.
 Quae quum lagenae frustra collum lamberet,

Peregrinam sic loquutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

Aquila, Felis et Aper.

Lib. II. 4.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Felis cavernam nacta, in media pepererat:
Sus nemoricultrix foetum ad imam posuerat,
Tum fortuitum felis contubernium
Fraude et scelesta sic veritit malitia.
Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsitan et miserae mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore effuso, et perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosae suis:
Magno, inquit, in periculo sunt nati tui:
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo.
Inde evagata noctu suspensio pede,
Ubi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,
Felisque catulis largam praebuerunt dapem,
Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

Muli et latrones.

Lib. II. 7.

Muli gravati sarcinis ibant duo.
Unus ferebat fiscos cum pecunia;
Alter tumentes multo sacco's hordeo.
Ille onere dives, celsa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum.
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque caedem ferro mulum trusitant.

Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
 Spoliatus igitur casus quum fleret suos:
 Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo;
 Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
 Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
 Magno periculo sunt opes obnoxiae.

Cervus et Boves.

Lib. II. 8.

Cervus nemoris excitatus latibulis,
 Ut venatorum fugeret instantem necem,
 Caeco timore proximam villam petit.
 Et opportune se bubili condidit.
 Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
 Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
 Hominumque tecto spiritum commiseris?
 At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite.
 Occasione rursus erumpam data.
 Spatium diei noctis excipiunt vices.
 Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
 Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
 Nemo animadvertit: transit etiam villicus,
 Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus
 Bubus quietis agere coepit gratias,
 Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
 Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
 Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
 Magno in periculo vita vertetur tua.
 Haec inter ipse dominus a coena redit:
 Et quia corruptos viderat nuper boves,
 Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est?
 Stramenta desunt. Tollere haec aranea
 Quanti est laboris? Dum scrutatur singula,
 Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
 Quem convocata jubet occidi familia,
 Praedamque tollit. Haec significat fabula,
 Dominum videre plurimum in rebus suis.

Aesopus et Petulans.

Lib. III. 5.

Successus ad perniciem multos devocat.
 Aesopo quidam petulans lapidem impegemat;

Tan-

Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
 Sic prosequutus: Plus non habeo, me hercule,
 Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
 Venit ecce dives, et potens: huic similiter
 Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
 Persuasus ille fecit, quod monitus fuit;
 Sed spes fefellit impudentem audaciam,
 Comprensus namque poenas persolvit cruce.

Apes et Fuci, Vespa iudice.

Lib. III. 13.

Apes in alta quercu fecerant favos:
 Hos fuci inertes esse dicebant suos.
 Lis ad forum deducta est vespa iudice.
 Quae genus utrumque nosset quum pulcherrime,
 Legem duabus proposuit partibus:
 Non inconveniens corpus, et par est color,
 In dubium plane res ut merito venerit:
 Sed ne religio peccet imprudens mea,
 Alveos accipite, et ceris opus infundite,
 Ut ex sapore mellis, et forma favi,
 De quois nunc agitur, auctor horum adpareat.
 Fuci recusant, apibus conditio placet.
 Tunc illa talem sustulit sententiam:
 Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.
 Quapropter apibus fructum restituo suum.
 Hanc praeterissem fabulam silentio,
 Si pactam fuci non recusassent fidem.

Arbores in deorum tutela.

Lib. III. 17.

Olim quas vellent esse in tutela sua,
 Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
 Et myrtus Veneri placuit, Phoebus laurea,
 Pinus Cybelae, populus celsa Herculi.
 Minerva admirans, quare steriles sumerent,
 Interrogavit. Causam dixit Jupiter:
 Honore fructum ne videamur vendere.
 At, mehercule, narrabit, quod quis voluerit,
 Oliva nobis propter fructum est gratior.
 Tunc sic deorum genitor, atque hominum sator:
 O nata, merito sapiens dicere omnibus:

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

Aesopus ad Garrulum.

Lib. III. 19.

Aesopus domino solus quum esset familia,
Parare coenam jussus est maturius.
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat, quod iter longius,
Effecit brevius; namque recta per forum
Coepit redire; et quidam e turba garrulus:
Aesope, medio sole quid cum lumine?
Hominem, inquit; quaero; et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animam retulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato adluserit.

Vulpes et uva.

Lib. IV. 2.

Fame coacta vulpes, alta in vinea
Uvam adpetebat summis saliens viribus;
Quem tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
Qui facere quae non possunt, verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Vulpes et Hircus.

Lib. IV. 9.

Homo in periculum simul ac venit, callidus
Reperire effugium alterius quaerit malo.
Quum decidisset vulpes in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit hircus sitiens in eundem locum:
Simul rogavit, esset an dulcis liquor,
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquae,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. Tum vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

Formica et Musca.

Lib. IV. 23.

Formica et musca contendebant acriter,
 Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
 Conferre nostris tu potes te laudibus?
 Ubi immolatur, exta praegusto deum;
 Moror inter aras, templa, perlustro omnia;
 In capite regis sedeo, quum visum est mihi;
 Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
 Quid horum simile tibi contingit, rustica?
 Est gloriosus sane convictus deum,
 Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
 Ego granum in hiemem quum studiose congero;
 Te circa murum video pasci stercore.
 Aras frequentas; nempe abigeris, quo venis.
 Nihil laboras, ideo, quum opus est, nihil habes:
 Superba jactas, tegere quod debet pudor.
 Aestate me lacessis; quum bruma est, siles:
 Mori contractam quum te cogunt frigora,
 Me copiosa recipit incolumem domus:
 Satis profecto retudi superbiam:
 Fabellam tales hominum discernit notas
 Eorum, qui se falsis ornant laudibus;
 Et quorum virtus exhibet solidum decus.

Scurra et Rusticus.

Lib. V. 5.

Pravo favore labi mortales solent,
 Et pro judicio dum stant erroris sui;
 Ad poenitendum rebus manifestis agi.
 Facturus ludos quidam dives nobiles,
 Proposito cunctos invitavit praemio,
 Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet,
 Venere artifices laudis ad certamina;
 Quos inter scurra notus urbano sale,
 Habere dixit se genus spectaculi,
 Quod in theatro nunquam prolatum foret.
 Dispersus rumor civitatem concitat:
 Paulo antea vacua turbam deficiunt loca:
 In scena vero postquam solus constitit,
 Sine adparatu, nullis adiutoribus:
 Silentium ipsa fecit exspectatio.

Ille in sinum repente demisit caput,
 Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
 Verum ut subesse pallio contenderent,
 Et excuti juberent: quo facto, simul
 Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri rusticus: Non, me hercule,
 Me vincet, inquit; et statim professus est,
 Idem facturum melius se postridie.
 Fit turba major; jam favor mentes tenet,
 Et derisuri, non spectaturi, sedent.
 Uterque prodit: scurra degrunnit prior,
 Movetque plausus, et clamores suscitatur.
 Tunc simulans sese vestimentis rusticus
 Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet,
 Sed in priori quia nil compererat, latens,
 Pervellit aurem vero, quem celaverat,
 Et cum dolore vocem naturae exprimit.
 Adclamat populus, scurram multo similis
 Imitatum, et cogit rusticum trudi foras.
 At ille profert ipsum porcellum e sinu,
 Turpemque aperto pignore errorem probans:
 En hic declarat, quales sitis iudices.

Taurus et Vitulus.

Lib. V. 9.

Augusto in aditu taurus luctans cornibus
 Quum vix intrare posset ad praesepia,
 Monstrabat vitulus, quo se pacto flecteret.
 Tace inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
 Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

Ranae regem petentes.

Lib. I. 2.

Athenae quum florerent aequis legibus,
 Procax libertas civitatem miscuit,
 Frenumque solvit pristinum licentia.
 Hinc conspiratis factionum partibus,
 Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
 Quum tristem servitutem flerent Attici,
 Non quia crudelis ille; sed quoniam grave

Select. Exempl. Vol. I.

K

Omne

Omne insuetis onus, et coepissent queri,
Aesopus talem tum fabellam retulit:

Ranae, vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere a Jove,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadi
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Mersae laterent quum limo diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput,
Et explorato rege cunctas evocat.
Illae, timore posito, certatim adnatae,
Lignumque supra turba petulans insilit.
Quod quum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Jovem;
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes: vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem.
Adflctis ut succurrat. Tunc contra deus:
Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum;
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

Fabula Menenii Agrippae,

narrata ab Aurelio Viet. de vir. illust. c. 18.

Quum populus a patribus recessisset, quod tributum
et militiam toleraret, nec revocari posset: Agrippa apud
eum: *Olim*, inquit *humani artus, quum ventrem otio-*
sum cernerent, ab eo discordarunt, et suum illi mini-
sterium negaverunt. Quum eo pacto et ipsi deficerent,
intellegerunt, ventrem acceptos cibos per omnia mem-
bra disserere; et cum eo in gratiam redierunt. Sic Se-
natus et Populus quasi unum corpus discordia pereunt,
concordia valent. Hac fabula populus regressus est.
Creavit tamen Tribunos plebis, qui libertatem suam
adversum nobilitatis superbiam defenderent.

Fabula Menenii Agrippae,

narrata a Liv. II. c. 32.

Plebem Sicinio quodam auctore injussu consulum in sacrum montem secessisse, trans Anienem amnem, tria ab urbe millia passuum ea frequentior fama est, quam, cujus Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse. Ibi sine ullo duce, vallo, fossaque communitis castris, quieti, rem nullam, nisi necessariam ad victum sumendo, per aliquot dies neque lacessiti, neque lacessentes sese tenuere. Pavor ingens in urbe, metuque mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta ab suis plebes violentiam patrum: timere patres residem in urbe plebem, incerti manere eam, an abire mallent. Quamdiu autem tranquillam, quae secesserit, multitudinem fore? quid futurum deinde, si quod externum interim bellum existat? Nullam profecto, nisi in concordia civium spem reliquam ducere. Eam per aequa, per iniqua reconciliandam civitati esse. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum; et quod inde oriundus erat, plebi carum. Is intromissus in castra, prisco illo dicendi, et horrido modo, nihil aliud, quam hoc narrasse fertur: *Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat; indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quaeri: ventrem in medio quietum, nihil aliud quam datis voluptatibus frui. Conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira, dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde adparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem.* Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in patres: flexisse mentes hominum. Agi deinde de concordia coeptum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset; neve cui patrum capere cum magistratum liceret.

V. E p i s t o l a e.

A. P r o s a i c a e.

a. F a m i l i a r e s.

1. Ex Ciceronis epistolis ad Diversos.

Lib. I. 3.

Scripta Romae A. U. C. 697.

Trebonii negotia in Cilicia Lentulo proconsuli commendat.

Cicero Lentulo S. D.

Aulo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, et ampla *a)* et expedita habet, multos annos utor valde familiariter. Is quum antea semper et suo splendore *b)*, et nostra ceterorumque amicorum commendatione gratiosissimus in provincia fuit: tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostramque necessitudinem, vehementer confidit, his meis literis se apud te gratiosum fore. Quae ne spes eum fallat, vehementer rogo te: commendoque tibi ejus omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: in primisque, ut, quae T. Ampius de ejus re decrevit *c)*, ea comprobes, omnibusque rebus eum ita tractes, ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuisse. Vale.

a) *ampla* h. e. multis in locis. Saepe ad rei *magnitudinem* additur *amplitudo*.

b) *splendore*: in equitibus dicitur *splendor*, non solum dignitas ex ipso ordine, qui fuit *honestissimus*, sed etiam ex lautiore re familiari. Itaque *splendore* equitum alius alium potest superare.

c) *decrevit*, alii: *decreverit*, male; est enim periphrasis decreti facti, non futuri.

Lib. I. 10.

Scr. Romae A. U. C. 699.

Significat Valerio, se ejus nomine Lentulo gratias egisse; eumque, ut domum redeat, hortatur.

M. T. C. S. D. L. Valerio Jurisconsulto.

Cur enim tibi hoc non gratificer *a)*, nescio: praesertim quum his temporibus audacia pro sapientia liceat [uti. Lentulo nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim, desinas jam nostris literis uti, et nos aliquando revisas: et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam isthic, ubi solus sapere videare. Quamquam, qui isthinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod male *b)*. Sed jam cupio tecum coram jocari. Quare fac, ut quamprimum venias, neque in Apuliam tuam accedas, ut possimus te salvum venisse gaudere. Nam illo si veneris, tamquam Ulysses cognosces tuorum neminem. Vale.

a) Cur enim tibi non gratificer, ut jurisconsultum te adpellem.

b) quod male, vulgo hic repetitur respondeas, quod praeceunte Martyni — Lanuga delevimus.

Lib. II. 1.

Scr. Romae sub interregno A. U. C. 700.

Adcusatus a Curione negligentiae literarum se excusat, eumque tamdiu absentem fuisse dolet, hortaturque, ut expectationem suam quam excitaverat, sustineat et tueatur.

M. T. C. C. Curioni D. S.

Quamquam me nomine negligentiae suspectum tibi esse doleo: tamen non tam mihi molestum fuit adcusari abs te officium meum, quam jucundum requiri; praesertim quum, in quo adcusabar, culpa vacarem: in quo autem desiderare te significabas meas literas, prae te ferres, perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem et optatum, amorem tuum. Equidem neminem praetermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui

litteras non dederim. Etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego? A te vero bis, terve summum, et eas perbreves accepi. Quare si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine; sin me id facere noles, te mihi aequum praebere debebis. Sed de literis hactenus; non enim vereor, ne non scribendo te expleam; praesertim, si in eo genere studium meum non aspernabere.

Ego te abfuisse tamdiu a nobis et dolui, quod carui fructu jucundissimae consuetudinis tuae; et laetor, quod absens omnia cum maxima dignitate es consequutus, quodque in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondit. Breve est, quod me praecipere meus incredibilis in te amor cogit. Tanta est expectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obsecrare obtestarique non dubitem, sic ad nos conformatus revertare, ut, quam expectationem tui concitasti, hanc sustinere ac tueri possis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio, te rogo, ut memineris, quantaecumque tibi accessiones fient, et fortunae et dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis, atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut aetas nostra jam ingravescens in amore, atque adolescentia tua conquiescat. Vale.

Lib. II. 2.

Scr. Romae A. U. C. 700.

Patris obitum Curioni absentem nuntiat, et ut ei patrimonium dii fortunent, optat.

Cicero Curioni. S. D.

Gravi teste ^{a)} privatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo, clarissimo viro, qui quum suis laudibus, tum vero te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te (Romae) ante videret, quam e vita discederet. Sed spero nostram amicitiam non egere testibus. Tibi patrimonium dii fortunent. Me certe habebis, cui et carus aequae sis et jucundus, ac fuisti patri. Vale.

^{a)} *Gravi teste.* Curionem enim adolescentem in patris irati gratiam Cicero sua auctoritate reduxerat.

Lib.

Lib. II. 3.

Scr. Romae. A. U. C. 700.

Rupam, Curionis libertum, excusat, quod in patris funere ludos populo non promiserit, et quid sibi omnino de his muneribus videatur, significat.

M. T. C. C. Curioni D. S.

Rupae studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine; sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quidquam te absente fieri, quod tibi, quum venisses, non esset integrum *a*). Equidem, quid sentiam, aut scribam ad te postea pluribus, *b*) aut, ne ad ea meditare, et imparatum te offendam, coramque contra istam tuam rationem, meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam, aut certe testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim, ut, si quando, quod nolim, displicere tibi consilium tuum coeperit, possis meum recordari. Brevi tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quae tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia, quae sunt amplissima, in republica consequi possis, quam muneribus: quorum neque facultatem quisquam admiratur, (est enim copiarum, non virtutis), neque quisquam est, quin satietate jam defessus sit. Sed aliter, atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. Quare omnem hanc disputationem in adventum tuum differo. — Summa scito in expectatione te esse, eaque a te expectari, quae a summa virtute, summoque ingenio expectanda sunt. Ad quae, si es, ut debes, paratus: (quod ita esse confido) plurimis maximisque muneribus, et nos amicos, et cives tuos universos, et rempublicam adicies. Illud cognosces profecto, mihi te neque cariorem neque jucundiorum esse quemquam. Vale.

a) non esset integrum, ut si consilium nostrum probares, mutare sententiam posses. Verebatur Cicero, ne muneribus dandis Curio aeris alieni plurimum contraheret, eoque coactus omissa reipublicae causa cum improbis civibus, maximeque cum Caesare, societatem bonis exitiosam coiret; quod ita contigit.

b) aut ne ad ea — meam dicam. Sic melius quam vulgo: ne ad ea meditare, imparatum te offendant, coramque contra istam rationem meam dicam.

Lib.

Scr. Romae A. U. C. 700.]

Questus de publicis malis Curioni gratulatur, quod ea non videat, et ut magnam in provincia laudem sibi comparatam tueatur, et incredibilem hominum expectationi satisfaciatur, hortatur.

M. T. C. C. Curioni S. P. D.

Haec negotia quomodo se habeant, ne epistola quidem narrare audeo tibi. Etsi, ubicumque es (ut scripsi ad te antea) in eadem es navi: tamen, quod abes, gratulor, vel quia non vides ea, quae nos: vel quod excelso et illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum et sociorum et civium conspectu, quae ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed et clarissima et una omnium voce perfertur. Unum illud nescio, gratulene tibi, an timeam, quod mirabilis est exspectatio reditus tui: non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat, sed me hercule, ne, quum veneris, non habeas jam, quod cures: ita sunt omnia debilitata et prope jam exstincta. Sed haec ipsa nescio, rectene sint literis commissa. Quare cetera cognosces ex aliis. Tu tamen sive habes aliquam spem de republica, sive desperas, ea para, meditare, cogita, quae esse in eo cive, ac viro debent, qui sit rempublicam adflictam et oppressam, miseris temporibus ac perditis moribus, in veterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Vale.

Lib. II. 7.

Scr. in castris ad Pindenissum. A. U. C. 702.

Curioni tribunatum plebis gratulatur, eumque, veritas, ne ab optimatibus deficeret, hortatur, ut se ipsum potius in consilium adhibeat, quam aliorum consiliis se auferri patiatur. Deinde rogat, ut diligenter prospiciat, ne sibi provinciae administratio prorogetur.

M. T. C. Procons. C. Curioni Tribuno plebis S. D.

Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla negligentia praetermissa est Longe enim absum,
au-

audio sero. Sed tibi et gratulor, et ut sempiternae laudi tibi sit tribunatus iste, exopto, teque hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientius suadere possit te ipso: nunquam labere, si te audies. Non scribo haec temere: cui scribam, video: novi animum, novi consilium tuum. Non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quae ipse recta esse senties. Quod in id reipublicae tempus non incideris, sed veneris, (iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides, quanta vis in republica temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates; quid insidiarum, quid venientis in vita, non dubito, quin cogites. Sed amabo te, cura et cogita, nihil novi, sed illud idem, quod initio scripsi: tecum loquere, et te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quam tu, non facile invenire potes: tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. Dii immortales! cur ego non adsum, vel spectator laudum tuarum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum? Tametsi hoc minime tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo, vis amoris mei, consilio te ut possem juvare.

Scribam ad te plura alias: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: ut, quoniam sane feliciter, et ex mea sententia rempublicam gessimus, unis literis totius aetatis a) res gestas ad senatum perscriberem.

De sacerdotio tuo b) quantam curam adhibuerim, quamque difficili in re atque causa c), cognosces ex his literis, quas Thrasoni, liberto tuo, dedi.

Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia, meaque item in te singulari, rogo atque oro, ne patiari quidquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Praesens tecum egi, quum te tribunum plebis isto anno fore non putarem, d) itemque petivi saepius per literas: sed tum quasi a senatore nobilissimo, tum adolescente gratiosissimo: nunc a tribuno plebis, et a Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius; sed ut ne quid novi decernatur, et ut S. C. et leges e) defendas, eaque mihi conditio maneat, qua profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

a) to-

- a) *totius aetatis*: Pindenissum tamen non aestate sed Saturnalibus, i. e. XIV. Kal. Januar. in suam potestatem redegit, quod Attico V. 20. scripsit. Verum res aestate gestas adpellat, quod *aestiva* vocarentur, quaecunque aestate coepta essent, licet ante hiemem non perfecta.
- b) *de sacerdotio tuo*: de pontificatu quem petiit et obtinuit, patre mortuo, ut in ejus locum surrogaretur.
- c) *re atque causa*: *res* hic est surrogatio pontificis; *causa*, ut Curio ipse surrogetur.
- d) *non putarem*. Et sane comitiis tribunitiis non videtur Curio petiisse, sed designatis omnibus tribunis plebis quum Servius tribunus designatus, condemnatus esset, ejus locum Curio, subita voluntate commotus, petiit, et obtinuit.
- e) *S. C. et leges*, quibus erat annua provincia.

Lib. II. 11.

Scr. Laodiceae prid, Non. Apr. A. U. C. 703.

Scribit, se urbis desiderio et provinciae satietate teneri; pantheras Coelio ad ludos diligenter curari; denique petit, ut sibi de repb. diligenter scribat.

M. T. C. Imp. M. Coelio, Aedili Curuli S. D.

Putaresne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent, neque solum ista vestra oratoria, sed haec etiam levia nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quod mirifice sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Mirum me desiderium tenet urbis, incredibile meorum, atque in primis tui, satietas autem provinciae, vel quia videmur eam famam consequuti, ut non tam accessio quaerenda quam fortuna metuenda sit; vel quia majora onera in republica sustinere et possim, et soleam; vel quia belli magni timor impendet, quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus.

De pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter; sed mira paucitas est, et eas, quae sunt, valde ajunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia, nisi sibi, fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere. Sed tamen sedulo fit, et in primis a Patisco. Quidquid erit, tibi erit: sed quid esset, plane nesciebamus. Mihi, me hercule, magnae curae est aedilitas tua

tua; ipsa dies me admonebat, scripsi enim haec ipsi Megalensibus. a)

Tu velim ad me de omni reipubl. statu quam diligentissime perscribas. Ea enim certissima putabo, quae ex te cognovero.

a) *ipsis Megalensibus.* Et Megalenses et Romani ludi pertinebant ad aediles curules. Dies igitur Megalensium, qui dabantur mense Aprili per sex dies a prid. Non. Apr. ad V. Idus, Ciceronem admonebant ludorum Romanorum, quos Coelius Septembri mense daturus erat.

Lib. II. 14.

Scr. Laodiceae mense Februario. A. U. C. 703.

M. Fabium diligenter commendat, seque literas de rebus urbanis expectare significat.

Cicero Coelio Aedili Cur. S. D.

M. Fabio, viro optimo et homine doctissimo, familiarissime utor, mirificeque eum diligo, quum propter summum ingenium ejus summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos; hominem occidat oportet, qui vestra opera uti velit. Sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, quum tua opera Fabius uti volet.

Ego res Romanas vehementer exspecto et desidero: in primisque, quid agas, scire cupio. Nam jam diu, propter hiemis magnitudinem, nihil novi ad nos adferebatur. Vale.

Scr. circa Idus Apr. in Formiano vel alia villa A. U. C. 704.

Sulpicio secum de republ. communicare cupienti scribit, se quamquam ei nihil opitulari posse videatur, tamen non nolle cum eo colloqui, nisi malit aliquem ad se mittere, ne aut ipsi exire ex urbe necesse sit, aut sibi propius accedere.

M. T. C. Serv. Sulpicio S. D.

Cajus Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quaesisse, quibus in locis essem: molesteque te ferre, quod me, propter valetudinem tuam, quum ad urbem accessissem, non vidisses; et hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos! profecto aliquid opis occidenti reipublicae tulissemus. Cognoram enim jam absens, te haec mala multo ante providentem, defensorem pacis, et in consulatu tuo, et post consulatum fuisse. Ego autem quum consilium tuum probarem, et idem ipse sentirem, nihil proficiebam. Sero enim veneram; solus eram; rudis esse videbar in causa; incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc quoniam nihil jam videmur opitulari posse reipublicae, si quid est, in quo nobismet ipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quam honestissime lugeamus: nemo est omnium, quicum potius mihi, quam tecum, communicandum putem. Nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos semper coluisti, praecepta, te fugiunt. Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in senatum, sive potius in senatorum conventum, esse venturum, ni veritus essem, ne ejus animum offenderem, qui a me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, quum me rogasset, ut adessem in senatu, eadem omnia, quae a te de pace, et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Res, vides, quo modo se habeat; orbem terrarum, imperiis distributis, ardere bello; urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure *a*), sine fide *b*) relictam direptioni et incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modo quod sperem, sed

sed vix jam, quod audeam optare. Si autem tibi, homini prudentissimo, videtur utile esse, nos colloqui: quamquam longius etiam cogitabam ab urbe discedere, (cujus jam etiam nomen invitus audio), tamen propius accedam. Trebatioque mandavi, ut si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret, idque ut facias velim; aut si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas; ne aut tibi ex urbe exire necesse sit, aut mihi accedere. Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo *c)*: ut exploratum habeam, quidquid nos communi sententia stauerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

- a) sine judiciis, sine jure*: sine judiciis publicis ac jurisdictione privata.
b) sine fide: hoc ad creditas pecunias pertinet. Caesar de bello civ. III. 1. dicit: *quum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur.*
c) fortasse arrogo, fortasse mihi adsentor, quum mihi tantumdem, quantum tibi tribuo. *Arrogare* dicimur nobis ea, quae nostra non sunt.

Lib. IV. 2.

Scripta in Cumano exeunte Aprili A. U. C. 704.

Querenti Sulpicio, quid faciendum sit; respondet cum laude ejus, si recta sequenda, certam rationem esse; non item, si utilia, quia Caesaris causa firmior, honestior Pompeji. Longius ergo discedendum ab urbe, in qua quae fiant, turpe sit probare; non probare, periculosum. Sed quo eundem, difficilem esse deliberationem. Qua de re si colloqui velit, quam primum, rogat, adveniat.

M. T. C. Serv. Sulpicio. S. D.

A. d. III. Kal. Majas, quum essem in Cumano, accepi tuas literas; quibus lectis cognovi, non satis prudenter fecisse Philotimum: qui, quum abs te mandata haberet, ut scribis de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, literas tuas misisset: quas intellexi breviores fuisse, quod eum perlaturum putasses. Sed tamen postquam literas tuas legi, Postumia *a)* tua me convenit, et Servius noster. His placuit, ut tu in Cumanum venires, quod etiam mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quod me-

meum consilium exquiris; id est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alteri dare. Quid enim est, quod audeam suadere tibi, homini summa auctoritate summaque prudentia? Si, quid rectissimum sit, quaerimus, perspicuum est: si quid maxime expediat, obscurum. Sin ii sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumque sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas meam causam conjunctam esse cum tua: certe similis in utroque nostrum, quum optime sentiremus, error fuit. Nam omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt; qua quum ipsi Caesari nihil esset utilius, gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda pace, arbitramur. Quantum nos fefellerit, et quem in locum res deducta sit, vides. Neque solum ea perspicis, quae geruntur, quaeque jam gesta sunt; sed etiam, qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quae fiunt, aut interesse, etiamsi non probes: quorum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat, ut discedendum putem: in quo reliqua videtur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quae loca sequamur. Omnino quum miserior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo facias: ut, si habes jam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit conjunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris: sin autem est, quod mecum communicare velis, ego te exspectabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quam primum velim venias; sicut intellexi et Servio et Postumiae placere. Vale.

a) *Postumia* uxor, *Servius* filius *Servii Sulpicii*.

Lib. IV. 3.

Ser. Romae exeunte Septembri. A. U. C. 707.

Sulpicium Achaiae a Caesare post pugnam Pharsalicam praepositum consolatur in dolore, quam ex reipublicae calamitate capiebat.

M. T. C. Serv. Sulpicio. S. D.

Vehementer te esse sollicitum, et in communibus miseriis praecipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quamquam minime miror, et meum quodammodo agnosco: doleo tamen, te sapientia praeditum prope singulari, non tuis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie et peste reipublicae molestiam traxerit, tamen multa jam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum. Multo enim ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram: neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente et denuntiante te. Etsi enim abfui magnam partem consulatus tui: tamen et absens cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero bello cavendo et praedicendo sententia; et ipse adfui primis temporibus tui consulatus, quum adcuratissime monuisti senatum, collectis omnibus bellis civilibus, ut et illa timerent, quae meminissent; et scirent, quum superiores nullo tali exemplo antea in republica cognito, tam crudeles fuissent, quicumque postea rempublicam oppressisset armis, multo intolerabiliorem futurum. Nam quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant: sed aliquid, atque adeo multa addunt, et adferunt de suo. Quare meminisse debes, eos, qui auctoritatem et consilium tuum non sunt sequuti, sua stultitia, occidisse, quum tua prudentia salvi esse potuissent. Dices: *Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, et quasi parietinis reipublicae?* Est omnino vix consolabilis dolor, tanta est omnium rerum amissio et desperatio recuperandi; sed tamen et Caesar ipse ita de te judicat, et omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquot, extinctis ceteris, elucere sanctitatem et prudentiam et dignitatem tuam. Haec tibi ad levandas molestias magna esse debent. Quod autem a tuis abes, id eo levius fer-

ren-

rendum est; quod eodem tempore a multis et magnis molestiis abes; quas ad te omnes perscriberem, nisi vererem, ne ea cognosceres absens, quae, quia non vides, mihi videris meliore esse conditione, quam nos, qui videmus. Hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus levari possunt molestiae tuae. Reliqua sunt in te ipso, neque mihi ignota, nec minima solatia, et (ut quidem ego sentio) multo maxima, quae ego ipse experiens quotidie sic probō, ut ea mihi salutem adferre videantur. Te autem ab initio aetatis, memoria teneo, summe omnium doctrinarum studiosum fuisse, omniaque, quae a sapientissimis ad bene vivendum tradita essent, summo studio curaque didicisse, quae quidem vel optimis rebus et usui et delectationi esse possent; his vero temporibus habemus aliud nihil, in quo adquiescamus. Nihil faciam insolenter, neque te, tali vel scientia vel natura praeditum, hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus a primis temporibus aetatis studium tuum dedisti. Tantum dicam, quod te spero adprobaturum: me posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia neque in foro viderem, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse. *Tuae scientiae a) excellenti b)* ac singulari non multo plus, quam nostrae relictum est loci. Quare non equidem te moneo, sed mihi ita persuasi, te quoque in iisdem versari rebus, quae, etiamsi minus prodesse, animum tamen a sollicitudine abducerent. Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisque hac, in qua ego me scripsi adquiescere, ita versatur, ut excellat: a me vero sic diligitur, ut tibi uni concedam, praeterea nemini: mihique ab eo gratia refertur, in quo ille existimat, quod facile adpareat, quum me colat et observet, tibi quoque in eo se facere gratissimum. Vale.

a) tuae scientiae: juris civilis.

b) excellenti: vicit enim hac laudē Sulpicius superiores omnes. Quod ei tribuit Cicero in libro de claris oratoribus c. 41, quum cum dicit ad jus civile non modo dialecticam, verum etiam literarum scientiam loquendique elegantiam ad-iunxisse.

Lib. IV. 10.

Scr. Romae mense Januario A. U. C. 708.

Hortatur M. Marcellum, ut redditum maturet a Caesare impetratum.

M. T. C. M. Marc. S. D.

Etsi nihil novi, quod ad te scriberem, magisque literas tuas jam exspectare incipiebam, vel te potius ipsum: tamen quum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quam primum venias. Venies enim, mihi crede, exspectatus non solum nobis, id est tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem, subvereri interdum, ne te delectet tarda decessio. Quod si nullum haberes sensum nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre: sed quum leviora non multo essent, quae audirentur, quam quae viderentur, suspicarer autem multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire, idque in omnes partes valeret: putavi ea de re te esse admonendum. Sed quoniam quod mihi placeret, ostendi: reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen velim, quod ad tempus te exspectemus, certiore facias. Vale.

Lib. V. 1.

Scr. ex Gallia citeriore A. U. C. 691.

Q. Metellus Celer, qui Galliam ex praetura superioris anni provinciam a Cicerone depositam pro consule regebat, hac epistola queritur, a Cicerone se absentem ludibrio laesum, fratremque suum Q. Metellum Nepotem oppugnatum esse.

Q. Metellus Q. F. Celer. Procos. M. T. C. S. D.

Si vales, bene est. Existimaram pro mutuo inter nos animo, et pro reconciliata gratia, neque me absentem ludibrio laesum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri. Quem si parum pudor ipsius defendebat: debebat vel familiae nostrae dignitas, vel meum studium erga vos remque

Select. Exempl. Vol. I.

L

que

que publicam satis sublevare. Nunc video illum circumventum, me desertum, a quibus minime conveniebat. Itaque in luctu et squalore sum, qui provinciae, qui exercitui praesum, qui bellum gero. Quae quoniam nec ratione, nec majorum nostrorum clementia administratis, non erit mirandum, si vos poenitebit. Te tam mobili in me meosque esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cujusquam injuria a republica abducat. Vale.

Lib. VII. 5.

Scr. Romae mense Februario aut Martio A. U. C. 699.

Caesari Galliae proconsuli Trebatium diligentissime commendat.

Cicero Caesari Imperatori S. D.

Vide, quam mihi persuaserim, te esse me alterum a), non modo in his rebus, quae ad me ipsum, sed etiam in iis, quae ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere, ut cum meis omnibus studiis, beneficiis quam ornatisimum domum reducerem. Sed posteaque et Pompeji commoratio diuturnior erat, quam putaram, et mea quaedam tibi non ignota dubitatio aut impedire perfectionem meam videbatur, aut certe tardare: vide, quid mihi sumserim. Coepi velle, ea Trebatium expectare a te, quae sperasset a me: neque, me hercule, minus ei prolixè de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri. Casus vero mirificus, quidam intervenit, quasi vel testis opinionis meae, vel sponsor humanitatis tuae. Nam quum de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer adcuratius domi meae, literae mihi dantur a te, quibus in extremis scriptum erat: *M. Rufum, quem mihi commendas, vel regem Galliae faciam, vel hunc Leptae delega. Si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem.* Sustulimus manus et ego et Balbus; tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea sponte, post autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Caesar, sic velim omni tua comitate complectare, ut omnia, quae per me possis adduci, ut
in

in meos conferre velis, in unum hunc conferas: de quo tibi homine haec spondeo, non illo veteri verbo meo, quod, quum a te de Milone scripsissem, iure lusisti: sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur *b)*, probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili, singularis memoria, summa scientia. Huic ego neque tribunatum, neque ullius beneficii certum nomen peto; benevolentiam tuam et liberalitatem peto; neque impedio, quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolae insignibus. Totum denique hominem tibi ita trado de manu (ut ajunt) in manum tuam istam et victoria et fide praestantem. Simus enim putidiusculi, quamquam per te vix licet; verum, ut video, licebit. Cura ut valeas, et me, ut amas, ama. Vale.

a) *te esse me alterum*, Cicero semper sic scribit. Vulgo: *te me esse alterum*.

b) *quo modo homines non inepti loquuntur*. Haec verba non pertinent ad ipsam commendationis formam, sed ad illam locutionem proverbialem *more Romano*, q. d. Cicero: *Spondebo tibi more Romano, et haec verba utar, quo homines non inepti uti solent, si volunt indicare sponsonem certam, severam et fido dignam*.

Lib. X. 16.

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

SCtum inq; Planci honorem factum esse narrat, et ut subitis rebus consilium senatus ne expectet, auctor est.

Cicero Planco.

Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quam tuas, Plance, literas. Redditae sunt enim frequenti senatu Cornuto; quum is frigidas sane et inconstantes recitasset literas Lepidi. Sub eas statim recitatae sunt tuae, non sine magnis quidem clamoribus. Quum rebus enim ipsis essent et studiis beneficiisque in rempublicam gratissimae, tum erant gravissimis verbis, et sententiis. Flagitare senatus institit

Cornutum, ut referret statim de tuis literis: ille se considerare velle. Quum ei magnum convicium fieret cuncto a senatu, quinque tribunipl. retulerunt. Servilius rogatus, rem distulit. Ego eam sententiam dixi, cui sunt adsensi ad unum. Ea quae fuerit, ex S. C. cognosces. Tu quamquam consilio non eges, vel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc rejicias, neve in rebus tam subitis, tamque angustis a senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus; quocumque te ratio reipublicae ducet, sequare. Cures, ut ante factum aliquid a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid a te erit factum; id senatum non modo ut fideliter, sed etiam sapienter factum comprobaturum. Vale.

Lib. X. 19.

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Gratiarum actionem sibi jucundam, literas senatui gratas fuisse significat, et ut belli reliquias conficiat, hortatur.

Cicero Planco.

Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam, quum te re ipsa, atque animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi per-jucunda. Sic enim vidi, quasi ea quae oculis cer-nuntur, me a te amari. Dices: *Quid antea?* Semper equidem, sed nunquam illustrius. Literae tuae mi-rabiliter gratae fuerunt senatui, quum rebus ipsis, quae erant gravissimae, et maxime fortissimi animi summique consilii, tum etiam gravitate sententiarum atque verborum. Sed, mi Plance, incumbere, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa et gratia et gloria. Cupio omnia reipublicae causa: sed, me her-cule, in ea conservanda jam defatigatus, non multo plus faveo patriae, quam gloriae tuae; cujus maxi-mam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dede-re: quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissi-mumque confecerit. Vale.

Lib.

Lib. XI. 22.

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Commendat Appium Claudiam, qui se cum Antonio conjunxerat, ut ex hostium numero eximatur.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D.

Cum Appio Claudio, Caji filio, summa mihi necessitudo est, multis ejus officiis, et meis mutuis constituta. Peto a te majorem in modum, vel humanitatis tuae, vel mea causa, ut eum auctoritate tua, quae plurimum valet, *conservatum* velis. Volo te, quum fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. Caju quidem causa hoc melior esse debet, quod pietate adductus, propter patris restitutionem se cum Antonio conjunxit. Quare etsi minus veram causam habebis, tamen probabilem aliquam poteris inducere. Natus tuus potest hominem, summo loco natum, summa virtute, officiosissimum praeterea et gratissimum, incolumem in civitate retinere. Quod ut facias, ita a te peto, ut majore studio, magisque ex animo petere non possim. Vale.

Lib. XIII. 14.

Scr. Romae. A. U. C. 707.

Petit, ut exactionem ejus pecuniae, quam L. Straboni P. Cornelius debet, suo studio et diligentia curet.

M. T. C. D. Bruto S. P. D.

Lucio Titio Strabone, equite Romano in primis honesto et ornato, familiarissime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura summae necessitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res a Volcatio, qui Romae jus dicit, rejecta in Galliam est. Peto a te hoc diligentius, quam si mea res esset, quo est honestius de amicorum pecunia laborare, quam de sua, ut negotium conficiendum cur-

res.

res. Ipse suscipias, transigas, operamque des, quoad tibi aequum et rectum videbitur, ut quam commodissima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei causa missus est, negotium conficiat, ad nummosque perveniat. Id et mihi gratissimum erit, et tu ipse L. Titium cognosces amicitia tua dignissimum. Quod ut tibi curae sit, ut omnia solent esse, quae me velle scis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Lib. XIII. 17.

Scr. Romae A. U. G. 707.

Manium Curium Servio Sulpitio Achaiae praesidi commendat.

M. T. C. Serv. Sulpitio S. P. D.

Manlius Curius, qui Patris negotiatur, multis et magis de causis a me diligitur. Nam et amicitia per vetus mihi cum eo est, ut primum in forum venit *a*), instituta; et patris, quum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello, domus ejus tota mihi patuit; qua si opus fuisset, tam essem usus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo est quasi sanctioris cujusdam necessitudinis; quod est Attici nostri familiarissimus, eumque unum praeter ceteros observat ac diligit. Quem si tu jam forte cognosti, puto me hoc, quod facio, facere serius. Ea est enim humanitate et observantia, ut eum tibi jam ipsum per se *b*) commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere a te quaeso, ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas literas contulisti, quam maximus possit, mea *c*) commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam minus se tibi obtulit, aut nondum eum satis habes cognitum, aut quae causa est, cur majoris commendationis indigeat; sic tibi eum commendo, ut neque majore studio quemquam, neque justioribus de causis commendare possim: faciamque id, quod debent facere ii, qui religiose, et sine ambitione commendant. Spondebo enim tibi, vel potius spondeo, in meque recipio: esse eos M. Curii mores, eamque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum et
ami-

amicitia tua et tam adcurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. Mihi certo gratissimum feceris, si intellexero, has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

- a) *in forum venis*, Manutius et Graevius e Mss. melius dederunt *venit*, pro vulg. *veni*.
- b) *ipsum per se*, melius quam vulg. *per se ipsum*.
- c) *possit mea*, vulgo *postea*.

Lib. XV. 7.

Ser. in castris ad Cybistra Cappadociae mense Sept. A. U. C. 702.

Cajo Marcello de consulatu gratulatur, suamque illi dignitatem commendat.

M. T. C. Procos. C. Marcello Cos. Des.
S. P. D.

Maxima sum laetitia adfectus, quum audivi te consulem factum esse; eumque honorem tibi deos fortunare, volo, atque a te pro tua, parentisque tui dignitate administrari. Nam quum te semper amavi, dilexique, tum mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum, tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensu tristibus temporibus, vel ornatus secundis; et sum totus vester; et esse debeo: quum praesertim matris tuae gravissimae atque optimae feminae majora erga salutem dignitatemque meam studia, quam erant a muliere postulanda, perspexerim. Quapropter a te peto majorem in modum, ut me absentem diligas atque defendas. Vale.

Ex Ciceronis Epistolis ad Atticum.

Lib. II. 8.

Scr. in villa prope Antium mense Aprilli A. U. C. 694.

Amissam Attici epistolam queritur, eamque ut sibi ille restituat, petit: simul quid Cicero narraverit, refert. Itinera per villas, et quibus diebus ubi futurus sit, indicat.

Cicero Pomponio Attico. S. D.

Epistolam, quam a te avide exspectarem ad vesperum, ut soleo; ecce tibi nuntius, pueros venisse Romam. Voco, quaero. *Ecquid literarum?* Negant. *Quid ais*, inquam *nihilne a Pomponio?* Perterriti voce et vultu, confessi sunt, se accepisse, sed excidisse in via. Quid quaeris? Permolesti tui: nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat. Nunc si quid in ea epistola, quam ante diem XVI. Kal. Majas dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus. Sin nihil praeter jocationem, redde id ipsum: et scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum. Valde ejus sermo de Publio *a*) cum tuis literis congruebat. Ipse vero mirandum in modum *reges odisse superbos b*). Peraeque narrabat incensam esse juventutem, neque haec ferre posse. Bene habet *c*). Nos, si in iis spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiae. Quamquam, licet me Saufejum *d*) putes esse, nihil me est inertius.

Sed cognosce itinera nostra, ut statuas, ubi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Palilibus *e*); inde (quoniam putas praetermittendum nobis esse hoc tempore Cratera illum delicatum) *f*) Kal. Majis de Forminiano proficiscemur, ut Antii simus a. d. V. Nonas Majas. Ludi enim Antii futuri sunt a IV. Kal. ad pridie Nonas Majas: eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum; deinde Arpinum, Romam ad Kal. Jun. Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tusculano cura ut videamus. Epistolam superiorem restitue nobis, et adpinge aliquid novi. Vale.

a) de Publio, ajebat, Caesari et Pompeji bilem commoveri, quod a P. Clodio contemni legationem ad Tigraem viderent.

b) re-

- b) *reges odisse superbos*, est Lucilii hemestichium. Significat autem Caesarem, Pompejum et Crassum.
- c) *bene habet*, lectio recepta a Corado et Ernestio melior, quam vulg. *bene habemus*.
- d) *Saufejum*, tardum et negligentem, qualis Saufejus, qui laborem non fert, vel natura, vel quia Epicureus, instituto et consuetudine.
- e) *Paliibus*, XI. vel ut alii volunt XII. Cal. Maji.
- f) *Cratera illum delicatum*, Crater est sinus inter Misenum et Minervae Promontorium s. Athenaeum, quo etiam Bajae comprehendebantur. Locus *delicatus* est locus plenus deliciis. Atticus autem Ciceronis Bajas praetermittendas censuerat, no voluptatis causa peregrinari videretur.

Lib. VIII. 3.

Scr. in Agro Caleno. a. d. Kal. Mart. A. U. C. 704.

Quaerit, utrum, si Pompejus Italia cedat, ipse maneat, an Pompejum sequatur; et utriusque consilii momenta exponit. Denique quae, dum haec scriberet, ipsi de Caesare et Domitio nuntiata sint, refert.

Cicero Attico S. P.

Maximis, et miserimis rebus perturbatus, quum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui. Deliberatio autem omnis haec est: Si Pompejus Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes; et quo facilius consilium dare possis, quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. Quum merita Pompeji summa erga salutem meam familiaritasque, quae mihi cum eo est, tum ipsa reipub. causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna cum fortuna conjungenda esse videatur. Accedit illud: si maneo, et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem, qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum; et, ut esset, a me est, tute scis, propter suspicionem hujus impendentis tempestatis multo ante provisum: tamen utrumque considerandum est; et quanta ei fides sit habenda, et, si maxime exploratum sit, cum nobis amicum fo-

fore, sitne viri fortis et boni civis, esse in ea urbe, in qua cum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus sit sui juris, subeundumque periculum sit cum aliquo forte dedecore, si quando Pompejus rempublicam recuperarit. In hac parte haec sunt: vide nunc, quae sint in altera.

Nihil actum est a Pompejo nostro sapienter, nihil fortiter, addo etiam nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rempublicam ille aluit, auxit, armavit. Ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor; ille Galliae ulterioris adjunctor: ille gener: ille in adoptando P. Clodio augur, ille restituendi mei, quam retinendi studiosior: ille provinciae propagator, ille absentis in omnibus adjutor: item etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipubl. coepit, contendit, ut decem tribuni pleb. ferrent, ut absentis ratio haberetur, quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoque Marcello consuli finienti *a*) provincias Gallias Kal. Mart. restitit. Sed ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissima fuga? quae conditio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? Mala conditiones erant, fateor: sed numquid hoc pejus? *At recuperabit rempublicam!* Quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picenus amissus; non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis et publica, et privata adversario tradita? Denique nulla causa, nullae vires, nulla sedes, quo concurrant, qui rempublicam defensam velint.

Apulia delecta est, inanissima pars Italiae et ab impetu hujus belli remotissima; fuga, et maritima opportunitas visa quaeri desperatione. Invite cepi Capuam, non quod minus illud defugerem, sed fide casam *b*); in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor: bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet; et, ut ipse sensi, multitudo, et infirmus quisque propensus in alteram partem, multum mutationis rerum cupidi. Dixi .psi, me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotii, quod ab initio vidi, nihil quaeri praeter fugam. Eam si nunc sequor: quonam? Cum illo non: ad quem quum essem profecturus, cognovi

in his locis esse Caesarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu, hie me maxima navigandum est. Age jam cum fratre, an sine? cum filio, an quo modo? In utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes, fortunaeque nostras? Acrior quam in ceterorum; quod putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere popolare.

Age jam has compedes, fasces, inquam, hos laureatos efferre ex Italia, quam molestum est! Qui autem locus nobis erit tutus (ut jam placatis utamur fluctibus) antequam ad illum venerimus? Qua autem, aut quo, nihil scimus. At si restitero, et fuerit nobis in hac parte locus; idem fecero, quod in Cinnae dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mutius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit: qui tamen ita dicere solebat, se id fere videre, quod factum est; sed hoc malle, quam armatum ad patriae moenia accedere. Aliter Thrasybulus *c)*, et forte melius. Sed est certa quaedam illa Mutii ratio atque sententia: est illa etiam Thrasybuli; et quum sit necesse, servire temporis, et non amittere tempus, quum sit datum.

Sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit; deferet triumphum. Non accipere ne periculosum sit: an accipere invidiosum ad bonos. *O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem!* Atqui explicanda est. Qui enim fieri potest *d)*? At ne me existimaris ad manendum esse propensioem, quod plura in eam partem verba fecerim: potest fieri, quod fit in multis quaestionibus, ut res verbosior haec fuerit, illa verior, quam obrem, ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim.

Navis et in Cajeta est parata nobis et Brundisii. Sed ecce nuntii, scribente me haec ipsa noctu in Caleno; ecce literae, Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare cupiente. Non puto etiam hoc Cnejum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiseraat; legionem a Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere a consule duci, scripserat ad consules. Sed turpe Domitium erit deserere, implorantem ejus auxilium.

Est

Est quaedam spes mihi quidem, non magna sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio *c)* pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transiisse cum cohortibus: summa autem, Afranium cum magnis copiis adventare. Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, quum esset incertum iter Caesaris, quod vel ad Capuam vel ad Luceriam iturus putabatur: Leptam ad Pompejum misi et literas: ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Haec te scire volui, scripsique sedatiori animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum. Vale.

- a) *M. Marcello consuli finienti* i. e. finem Caesaris administrationis provinciarum Galliarum in Kal. Martias decernenti.
 b) *fide cassam*, vulgo: *sed sic ne causam*. Alii legunt: *sine causa*.
 c) *Thrazybulus*, Atheniensis, qui armatus accessisset ad patriae moenia, ut eam a triginta tyrannis liberaret.
 d) *qui enim fieri potest?* Haec interrogatio hoc loco parum apte interposita est. Sensus est commodus, si cum cl. Schütz legamus: *qui enim aliter fieri potest?* vel: *qui enim neutrum fieri potest?* nempe ut triumphum nec accipiam? alterutrum igitur necessarium.
 e) *cum Trebonio* Caesaris legato.

Lib. IX. 6.

Ser. Formiis IV. idus Mart. A. U. C. 704.

Quid Balbus Roma scripserit, narrat. Se Arpinum haud iturum significat. Quid de Domitio audierit, refert; et quum in literis Capua adlatis nuntiatum esset, falso tamen rumore, Pompejum jam mare transiisse, se valde sibi displicere, quod eum non secutus sit, ait, ejusque doloris solatium ab Attico petit.

Cicero Attico S.

Nos adhuc Brundisio nihil. Roma scripsit Balbus, putare jam Lentulum consulem transmisisse, nec eum a minore Balbo conventum; quod is hoc jam Cannusi audisset; inde ad se eum scripsisse; cohortesque sex, quae Albae fuissent, ad Curium via Minucia trans-

transisse: id Caesarem ad se scripsisse, et brevi tempore eum ad urbem futurum.

Ego utar tuo consilio; neque me Arpinum hoc tempore abdam: etsi Ciceroni meo togam puram, quam dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Caesarem. Sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romae potius. Sed tamen si est conveniendus, hic potissimum. Tum reliqua videbimus, id est, et quò, et qua et quando.

Domitius ut audio, in Cosano, et quidem ut ajunt, paratus ad navigandum; si in Hispaniam, non probo; si ad Cnaeum, laudo; quovis potius certe, quam ut Curtium videat; quem ego patronus adspicere non possum. Quid alios? sed, opinor, quiescamus; ne nostram culpam coarguamus; qui, dum urbem, id est patriam, amamus, dumque rem conventuram putamus, ita nos gessimus, ut plane interclusi captique simus.

Scripta jam epistola, Capua literae sunt allatae, hoc exemplo: „Pompejus mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit. Hic numerus est hominum millia XXX. et consules, et duo tribuni plebis, et senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus et liberis. Conscendisse dicitur a. d. IV. nonas Mart. ea ex die fuere Septemtriones venti. Naves, quibus usus non est, omnes aut praecidisse, aut incendisse dicunt.“ De hac re literae L. Metello tribuno plebis Capuam allatae sunt ab Clodia socru, quae ipsa transiit. Ante sollicitus eram et angebar: sicut res scilicet ipsa cogebat, quum consilio explicare nihil possem; nunc autem, postquam Pompejus, et Consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore.

Οὐ δέ μοι ἦτορ α)

Ἐμπειδον, ἀλλ' ἀλαλукτημαί

non sum, inquam, mihi crede, mentis compos; tantum mihi dedecoris admisisse videor. Me non primum cum Pompejo, qualicumque consilio uso, deinde cum bonis esse, quamvis causa temere instituta? praesertim quum ii ipsi, quorum ego causa timidius me fortunae committebam, uxor, filia, Cicerones pueri, me illud sequi mallent? hoc turpe, et me indignum putarent? nam Quintus quidem frater, quidquid mihi placeret, id rectum se putare ajebat, id

ani-

animo aequissimo sequebatur. Tuas nunc epistolas a prima lego. Hae me paullum recreant. Primae mo-
nent et rogant, ne me projiciam. Proximae te gau-
dere ostendunt, me remansisse. Eas quum lego, mi-
nus mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego; de-
inde emergit rursus dolor et *αἰσχροῦ φαντασία δ*).
Quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc
dolorem aut minue saltem, aut consolatione, aut
consilio, aut quacunquē re potes. Quid tu autem pos-
sis? aut quid homo quisquam? vix deus jam.

Equidem illud molior, quod tu mones, sperasque
fieri posse, ut mihi Caesar concedat, ut absim, quum
aliquid in senatu contra Cnaeum agatur. Sed timeo
ne non impetrem. Venit ab eo Furnius: (ut quidem
scias, quos sequamur). Q. Titinii filium cum Caesare
esse nuntiat; sed illum majores mihi gratias agere,
quam vellem. Quid autem me roget, (paucis ille qui-
dem verbis; sed *ἐν δυνάμει*) c) cognosce ex ipsius epi-
stola. Me miserum, quod tu non valuisti. Una fuisse-
mus; consilium certe non defuisset.

σύν δε δὺ ἔρχομενω — d)

sed acta ne agamus; reliqua paremus. Me adhuc
haec duo fefellerunt, initio spes compositionis, qua
facta volebam uti populari vita, sollicitudine senectute
nostram liberari; deinde bellum crudele, et exitio-
sum suscipi a Pompejo intelligebam: Melioris me-
diusfidius civis, et viri putabam, quovis supplicio ad-
fici, quam illi crudelitati non solum praeesse, verum
etiam interesse. Videtur vel mori satius fuisse, quam
esse cum iis. Ad haec igitur cogitata, mi Attice, vel
potius excogitata quemvis eventum fortius feram,
quam hunc dolorem.

a) οὐδέ μοι ἤτορ κ. τ. λ. neque mihi pectus firmum, sed
consternato sum animo. Homer. Iliad. 93. 94.

b) αἰσχροῦ φαντασία, animo quaedam turpitudinis species
occursat.

c) sed ἐν δυνάμει, cum vi et efficacia.

d) σύν δε δὺ ἔρχομενω. complendum ex Hom. Iliad, X. 224,
καὶ τε πρό ὃ τοῦ ἐνόησεν ὅπως κέρδος ἔνν. Duobusque
simul euntibus alter alterum praevertisset cogitando, quod
e re foret.

Caesar imp. S. D. Ciceroni imp.

Quum Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui, neque audire meo commodo posuissem, properarem, atque essem in itinere, praemissis jam legionibus: praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te, et illum mitterem, gratiasque agerem: etsi hoc et feci saepe, et saepius mihi facturus videor; ita de me mereris. In primis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam; ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum revertar: festinationi meae, brevitatiq[ue] literarum ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces.

Lib. IX. 11.

Scr. in Formiano XIII. Kal. April. A. U. C. 704.

Literas se a Lentulo accepisse, Matium se convenisse itemque Grassipedem scribit.

Cicero Attico S.

Lentulum nostrum scis Puteolis esse; quod quum a viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum in Appia, quum is paullum lecticam aperuisset, cognosce, etsi vix verisimile, nisi tamen Puteolos pueros, qui pervestigarent, et ad eum literas. Inventus est vix, in hortis suis se occultans, literasque mihi remisit, mirifice gratias agens Caesari: de suo autem consilio C. Caecio mandata ad me dedisse. Eum ego hodie exspectabam, id est XIII Kal. April. Venit etiam ad me Matus Quinquatribus *a*), homo mehercule, ut mihi visus est, temperatus et prudens; existimatus quidem est semper auctor otii. Quam ille haec non probare mihi quidem visus est! quam illam *venotat* ut tu adpellas timere! huic ego in multo sermone epistolam ad me Caesaris ostendi, eam, cujus exemplum ad te antea misi; rogaviq[ue], ut interpretaretur, quid esset, quod ille scriberet, consilio meo, se uti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. Respondit, se non dubitare, quin et opem, et gratiam meam ille ad pacificationem quaereret. Utinam aliquod in hac
mi-

miseria reipublicae πολιτικὸν b) opus efficere et navare mihi liceat! Matus quidem et illum in ea sententia esse confidebat, et se auctorem fore pollicebatur. Pridie autem apud me Grassipes fuerat, qui se pridie nonas Martii Brundisio profectum atque ibi Pompejum reliquisse dicebat; quod etiam, qui VIII. idus illinc profecti erant, nuntiabant. Illic vero omnes, in quibus etiam Grassipes, quae portenta putas ostendere? sermones minaces, inimicos optimatum c), municipiorum hostes d), meros Sullas! quae Luccejum e) loqui? quae totam Graeciam? quae vero Theophanem? et tamen omnis spes salutis in illis est; et ego excubo animo, nec partem ullam capio quietis; et, ut has pestes f) effugiam, cum dissimillimis nostri esse cupio. Quid enim tu illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem praetermissurum sceleris putas? quorum creditores convenire dicuntur. Quid eos autem, quum vicerint, in cives effecturos? quam vero μικροψυχίαν g) Cnaei nostri esse? nuntiant Aegyptum, et Arabiam εὐδαίμονα h) et Μισσοποταμίαν cogitare, Hispaniam adjecisse. Monstra narrant, quae falsa esse possunt. Sed certe et haec perdita sunt, et illa non salutaria Tuas literas jam desidero. Post fugam nostram numquam diei nostrarum intervallum fuit. Misi ad te exemplum literarum mearum ad Caesarem, quibus me aliquid profecturum puto.

a) *Quinquatribus*, XIV. Kal! April.

b) *πολιτικὸν ὄπυς*, rei publicae utile.

c) *inimicos optimatum*, Pompejanos scilicet inimicos eorum optimatum, qui Pompejum non sunt secuti, neque ullam belli partem attigerunt.

d) *municipiorum hostes*, quia fere omnia Caesari se ultro dederunt.

e) *Luccejum*, Luceji et Theophanis consilio Pompejus maxime usus est.

f) *has pestes*, quas a Caesarianis impendent.

g) *μικροψυχίαν*, pusillum animum.

h) *εὐδαίμονα*, felicem.

Scr. XIV. Cal. Apr. in Formiano.

Cicero imp. S. D. Caesari imp.

Ut legi tuas, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem, te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus; de gratia, et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam; spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia, de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer; et ad eam rationem existimabam satis aptam et naturam et personam meam. Quod si ita est, et si qua de Pompejo nostro tuendo, et tibi, ac rei publicae reconciliando cura te attingit: magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem: qui et illi semper, et senatui, quum primum potui, pacis auctor fui; nec sumptis armis, belli ullam partem attigi; judicavique eo bello te violari, contra cuius honorem populi Romani beneficio concessum, inimici atque invidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse fautor dignitatis tuae fui, verum etiam ceteris auctor ad te adjuvandum; sic me nunc Pompeji dignitas vehementer movet. Aliquot enim sunt anni, quum vos duos delegi, quos praecipue colerem, et quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem a te peto, vel potius omnibus precibus oro, et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoriam possim: quae si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum. Sed, ut arbitror, et ad tuam fidem, et ad rempublicam pertinet, me e paucis, et ad utriusque vestrum, et ad civium concordiam, per te, quam adcommodatissimum conservari. Ego, quum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses: tamen, lectis ejus literis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate, beneficioque misit, eandem me salutem a te accepisse putavi, quam ille: in quem si me intelligis esse gratum, cura, obsecro, ut etiam in Pompejum esse possim.

Lib. IX. 17.

Scr. in Formiano VI. Cal. April. 704.

Se e Trebatii nuntio, Mutiique literis mediaturum ait, quomodo cum Caesare loquatur, et ex illius sermone, quo sibi eundum sit, statuturum. Deinde cupit ab Attico scire, ecquid Curius de Tiro ne scripserit.

Cicero Attico S. D.

Trebatium VI. Cal. quo die has literas dedi, expectabam. Ex ejus nuntio Mutiique literis meditabor, quomodo cum Caesare loquar. O tempus miserum! Nec dubito, quin a me contendat, ut ad urbem veniam. Senatum enim Kal. velle se frequentem adesse, etiam Formiis proscribi jussit. Ergo ei negandum est? Sed quid praecipio *a)*? Statim ad te perscribam omnia. Ex illius sermone statuam, Arpinumne mihi eundum sit, an quo alio. Volo Ciceroni meo togam puram dare. Isthic puto. Tu, quaeso, cogita, quid deinde; nam me hebetem molestiae reddiderunt.

A Curio, velim scire, ecquid ad te scriptum sit de Tiro; ad me enim ipse Tiro ita scripsit, ut verrear, quid agat. Qui autem veniunt inde, *κινδυνωδη* *b)* nuntiant. Sane in magnis curis etiam haec me sollicitant: in hac enim fortuna perutilis ejus et opera et fidelitas esset. Vale.

a) *praecipio*, recte hoc praefertur lectioni vulg. *praecipis*, Sensus est: *sed quid ante scribo, quam factum est?*

b) *κινδυνωδη* *periculose aegrotantem.*

Lib. IX. 18.

Scr. Arpini IV. Cal. April. A. U. C. 704.

Exponit sermones cum Caesare habitos.

Cicero Attico S.

Utrumque ex tuo consilio. Nam et oratio fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret, quam gratias ageret; et in eo mansimus, ne ad urbem. Illa fefellerunt, facilem quod putaramus. Nihil vidi minus.

nus. Damnari se nostro iudicio, tardiores fore reliquos, si nos non venerimus, dicere. Ego, dissimilem illorum esse causam. Quum multa: veni igitur, et age de pace. Meone, inquam, arbitrato? An tibi, inquit, ego praescribam? Sic, inquam, agam: Senatui non placere in Hispaniam iri, nec exercitus in Graeciam transportari, multaque, inquam, de Cnaeo deplorabo. Tum ille: Ego vero ista dici nolo. Ita putabam, inquam, sed ego eo nolo adesse, quod aut sic mihi dicendum est, multaque, quae nullo modo possem silere, si adessem; aut non veniendum. Summa fuit, ut ille quasi exitum quaerens, ut deliberarem. Non fuit negandum. Ita discessimus. Credo igitur hunc me non amare. At ego me amavi; quod mihi jam pridem usu non venit.

Reliqua, o dii, qui comitatus! quae, ut tu soles dicere, νεκρία a) in qua erat area scelerum. O rem perditam! o copias desperatas! quid, quod Servii filius, quod Titinii, quod in his castris fuerunt, quibus Pompejus circumsideretur! Sex habet legiones. Multum vigilat, audet: nullum video finem mali. Nunc certe promenda tibi sunt consilia. Hoc fuerat extremum.

Illa tamen κατακλις b) illius est odiosa, quam paene praeterii: si sibi consiliis nostris uti non liceret, usurum, quorum posset, ad omniaque esse descensurum. „Vidisti igitur virum, ut scripseras, et ingemisti?“ Certe. „Cedo reliqua.“ Quid? continuo ipse in Pedanum, ego Arpinum. Inde exspecto quidem λαλαγευσαν c) illam tuam. Tu (malum) inquires, actum ne agas. Etiam illum ipsum, quem sequimur, multa fefellerunt. Sed ego tuas literas exspecto. Nihil est enim jam, ut antea videamus, hoc quorsum evadat.

Extremum fuit de congressu nostro; quo quidem non dubito, quin istum offenderim. Eo maturius agendum est. Ambabo te, epistolam, et πολιτικῆν. Valde tuas literas nunc exspecto.

a) νεκρία, mortuorum convocatio.

b) κατακλις, clausula, qua Caesar usus fuerat, extrema.

c) λαλαγευσαν, garrientem, i. e. hirundinem, veris nuntiam quo anni tempore in Graeciam proficisci erat animus.

Scr. in Cumano a. d. VI. nonas Majas. A. U. C. 708.

Causas exponit, cur sibi non videatur expectandum, quem res in Hispaniis agenda habiturae sint exitum. Addit alia quaedam, subiungitque literarum ab Antonio et a Caesare acceptarum exempla.

Cicero Attico S.

Et res ipsa monebat, et tu ostenderas, et ego videbam, de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. Sed, quum ad me saepe mea Tullia scribat, orans, ut, quid in Hispania geratur, expectem; et semper adscribat, idem videri tibi; idque ipse etiam ex tuis literis intellexerim: non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam, scribere.

Consilium istud tunc esset prudens, ut mihi videretur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum adcommodaturi essemus; quod fieri dicitis oportere. Necesse est enim, aut, id quod maxime velim, pelli istum ab Hispania; aut trahi id bellum; aut istum, ut confidere videtur, adprehendere Hispanias. Si pelletur: quam gratus, aut quam honestus tum erit ad Pompejum noster adventus; quum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? si trahitur bellum: quid expectem, aut quamdiu? Relinquitur, ut si vincimur in Hispania, quiescamus. Id ego contra puto; istum enim victorem magis relinquendum puto, quam victum, et dubitantem magis, quam fidentem suis rebus. Nam caedem video, si vicerit, et impetum in privatorum pecunias, et exsulum redditum, et tabulas novas, et turpissimorum honores, et regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuidam tolerabile. Tacita esse poterit indignitas nostra? pati poterunt oculi me cum Gabinio sententiam dicere? et quidem illum rogari prius! praesto esse clientem tuum Clodium? C. Ateji Plagulejum? ceteros? sed cur inimicos colligo: qui meos necessarios, a me defensos, nec videre in curia sine dolore, nec versari inter eos sine dedecore potero. Quid? si ne id quidem est exploratum, fore, ut mihi liceat;
(scri-

(scribunt enim ad me amici ejus, me illi nullo modo satisfacisse, quod in senatum non venerim); tamen ne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum conjuncti ne cum praemio quidem voluimus esse.

Deinde hoc vide: non esse judicium de tota contentione in Hispaniis; nisi forte iis amissis, arma Pompejum abjecturum putas, cujus omne consilium Themistocleum est. Existimat enim, qui mare teneat, eum necesse esse rerum potiri. Itaque, quia nunquam id egit, ut Hispaniae per se tenerentur, navalis adparatus ei semper antiquissima cura fuit. Navigabit igitur; quum erit tempus, maximis classibus, et ad Italiam accedet, in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse jam non licebit. Adversabimur igitur? quod malum majus? denique quid turpius?

Ain, tu, Attice? An qui invalidi et absentis solus tuli scelus, ejusdem, cum Pompejo, et cum reliquis principibus non feram? Quod si jam misso officio, periculi ratio habenda est: ab illis et periculum, si peccaro; ab hoc, si recte fecero; nec ullum in his malis consilium periculo vacuum inveniri potest; ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum salute. Non simul cum Pompejo mare transierimus? Omnino non potuimus. Exstat ratio dierum. Sed tamen (fateamur enim, quod est; nec condamus quidem, ut possumus) fefellit ea me res; quae fortasse non debuit, sed fefellit; pacem putavi fore; quae si esset, iratum mihi Caesarem esse, quum idem amicus esset Pompejo, nolui. Senseram enim, quam iidem essent. Hoc verens in hanc tarditatem incidi. Sed adsequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, non haec collegii nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis. Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quia ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat; quippe qui florentissimus, ac novus, VI, VII diebus ipsi illi egenti, ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit; qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello *a*): divitiarum in aerario *b*). Jam quibus utatur vel sociis, vel ministris, si ii provincias, si rempublicam regent, quorum nemo duo menses potuit

gu.

gubernare? non sunt omnia colligenda; quae tu acutissime perspicis. Sed tamen ea pone ante oculos; jam intelliges id regnum vix semestrem esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in republica excellentes tulerunt; nisi forte me Sardanapali vicem in lectulo mori malle censueris, quam exilio Themistocleo, qui quum fuisset, ut ait Thucydides, πάντων μὲν παρόντων δι' ελαχίστης βουλῆς κρατίστος γνομένων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλείστον τῷ γενησομένῳ ἀριστος ἐικαστής c) tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si eum nihil fefellisset. Etsi is erat, (ut ait idem) qui τὸ ἄμισον d) καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανίῳ ἔτι προεώρα μαλιστα: tamen non vidit, nec quomodo Lacedaemoniorum, nec quomodo civium suorum invidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. Non fuisset et illa nox tam acerba Africano, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset. Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus; nec nos fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est, aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore. Quamquam tempus est, non de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare. Sin quid acciderit maturius, haud sanemea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. Quae quum ita sint, non est committendum, ut iis pareamus, quos contra me senatus, ne quid republica detrimenti capiat, armavit.

Tibi sunt omnia commendata, quae commendationis meae pro tuo in nos amore non indigent. Ne hercule ego quidem reperio, quod scribam, sedeo enim πλουδοκῶν e). Etsi nihil antiquius fuit scribendum; quam nihil mihi umquam ex plurimis tuis jucunditatibus gratius accidisse, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti. Valde eo ipsa delectata est: ego autem non minus; cujus quidem virtus mirifica. Quo modo illa fert publicam cladem? quo modo domesticas tricas? quantus autem animus in discessu nostro? sit στοργή, sit summa συντηξίς f), tamen nos recte facere et bene audire vult. Sed hac super re nimis; ne meam ipsam συμπάθειαν jam evocem.

Tu, qui de Hispaniis certius, etsi quid aliud, dum adsumus, scribes, et ego fortasse discedens dabo ad te aliquid; eo etiam magis, quod Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia.

Cum Antonio item est agendum; ut cum Curione, Melitae me velit esse; huic bello nolo interesse. Eo velim tam facile uti possem, et tam bono in me, quam Curione. Is ad Misenum ôto nonas venturus dicebatur, id est hodie: sed praemisit mihi odiosas literas hoc exemplo:

- a) *mansuetudinis in Metello*, quem, tribunum plebis, interficere voluit, quod eum impedire volebat, quo minus aerarium effringeret.
- b) *divitiarum in aerario*, scil. effracto et pecuniis inde ablatiis, quod opus non fuisset, et divitiis adfluxisset.
- c) τῶ μὲν — — ἱκαστήεις, *rerum quidem praesentium initio brevi et extemporali consilio optimus iudex, futurarum autem magna ex parte ejus, quod venturum erat, certissimus conjector.*
- d) *qui τὸ ἀμεινον — — μάλιστα, qui quid melius et deterius, in obscuro adhuc providebat maxime.*
- e) *πλουδοκῶν, navigationem expectans.*
- f) *στοργή — — σύντηξις, Legendum videtur: etsi στοργή sit summa et σύντηξις, i. e. etsi Tullia mea summa in me sit pietate, et inter nos conjunctio amicorum arctissima.*

Antonius Trib. Pleb. Propraetor, Ciceroni Imperatori S.

„Nisi te valde amarem, et multo quidem plus, quam tu putas, non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est, quum praesertim falsum esse existimarem. Sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni esse.”

„Te iturum trans mare credere non possum, quum tanti facias Dolabellam, et Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias, quibus mehercule dignitas, amplitudoque tua paene carior est, quam tibi ipsi. Sed tamen non sum arbitratus esse amici, non commoveri etiam improborum sermone: atque eo feci studiosius, quod iudicabam du-

riores partes mihi impositas esse ab offensione nostra quae magis a ζήλοσνπια mea, quam ab injuria tua nata est. Sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, excepto Caesare meo, meque illud una judicare, Caesarem maxime in suis M. Ciceronem reponere.

„Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serves, ejus fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius injuriam fecit: contra eum ne profugias, qui te, etsi non amabit, (quod accidere non potest) tamen salvum amplissimumque esse cupiet.

„Dedita opera ad te Calpurnium familiarissimum meum misi; ut mihi magnae curae tuam vitam ac dignitatem esse scires.“

Eodem die a Caesare Philotimus attulit, hoc exemplo:

Caesar imperator Ciceroni imp. S.

„Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicaram; tamen permotus hominum fama, scribendum ad te existimavi. et pro nostra benevolentia petendum, ne quo progredere proclinata jam re, quo, integra etiam progrediendum tibi non existimassem. Nam et amicitiae graviorem injuriam feceris, et tibi minus commode consuleris, si non fortunae obsequutus videbere: (omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur) nec causam secutus (eadem enim tum fuit, quum ab eorum consiliis abesse judicasti); sed meum aliquod factum condemnasse; quo mihi gravius abs te nil accidere potest. Quod ne facias, pro jure nostrae amicitiae a te peto. Postremo, quid viro bono et quieto et bono civi magis convenit, quam abesse a civilibus controversiis? quod nonnulli quum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu, explorato et vitae meae et amicitiae testimonio, et amicitiae judicio, neque tutius neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse XV. Kal. Mai. ex itinere.“

Lib. XIV. 13.

Scr. Puteolis VI. Cal. Majas A. U. C. 709.

Bogat, ut secum delibaret, utrum sibi in Gracciam proficiscendum sit, an in Italia manendum. Addit quaedam de Quinto fratre; et mittit scriptam ab Antonio ad se epistolae, suaeque responsionis exemplum.

Cicero Attico S.

Septimo denique die literae mihi redditae sunt, quae erant a te XIII. Cal. datae: quibus quaeris, atque etiam me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumultis prospectuque, an ambulatione ἀλιτυσίᾳ delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amoenitas, ut dubitem, utra anteponenda sit.

ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἢ ἐπιγράτου ἔργα μέμνην.

Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφέες εἰσορωντεῖς

Δειδόμεν ἐν δοκῇ δὲ σαωσόμεν, ἢ ἀπολεστας

Quamvis enim tu magna, et mihi jucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones, in quo spem maximam video: tamen si est bellum civile futurum, quod certe erit, si Sextus in armis permanebit, quem permansurum esse certe scio: quid nobis faciendum, ignoro. Neque enim jam licebit, quod Caesaris bello licuit, neque huc, neque illuc. Quemcumque enim haec pars perditorum laetatum morte Caesaris putabit, (laetitiam autem apertissime tulimus omnes) hunc in hostium numero habebit: quae res ad caedem maximam spectat. Restat, ut in castra Sexti, aut si forte, Bruti nos conferamus. Res odiosa et aliena nostris aetatibus, et incerto exitu belli: et nescio, quo pacto tibi ego possim, mihi tu dicere.

Τεκνον ἔμουν οὗτοι δέδοται πολεμικὰ ἔργα.

Ἀλλὰ σύγ' ἡμερονετα μετέρχο ἔργα λόγιοι,

Sed haec fors viderit, ea, quae talibus in rebus plus, quam ratio potest. Nos autem id videamus, quod in nobis ipsis esse debet, ut, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus, et accidisse hominibus meminimus; nosque quum multum literae, tum non minimum Idus quoque Mart. consolentur. Suscipe nunc meam deliberationem, qua sollicitor: ita multa veniunt in mentem in utramque partem. Proficiscor,

ut

ut constitueram, legatus in Graeciam? Caedis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod rei publicae defuerim tam gravi tempore. Si autem mansero, fore me quidem video in discrimine; sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim rei publicae. Jam illa consilia privata sunt, quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire: nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, quam consilium cepi legari ab Caesare. Tota igitur hac de re, ut soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis.

Redeo nunc ad epistolam tuam. Scribis enim esse rumores, me ad lacum quod habeo, venditurum; minusculam vero villam utique Quinto traditurum, vel impenso pretio, quo introducatur, ut tibi Quintus filius dixerit, dotata Aquillia; ego vero de venditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, invenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore. Satis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Egnatio gratias agit. A du-cenda autem uxore abhorret.

Sed haec quoque hactenus. Redeo enim ad miseram, seu nullam potius rempublicam. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodii: quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognoscet; (misi enim tibi exemplum) quam dissolute, quam turpiter, quamque ita perniciose, ut nonnumquam Caesar desiderandus esse videatur, facile existimabis. Quae enim Caesar numquam neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis ejus commentariis proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me praebui. Etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me invito. Itaque mearum quoque literarum misi tibi exemplum.

a) ἀλιτρινῆς, mari adjacens, maritimus: comp. ex ἀλῆ mare et τεινω tendo. Cicero erat in hortis Cluvianis prope Pnteolos, in ora maritima. Quaesierat Atticus, utrum in Arpinati magis delectaretur tumulis et collibus, et ex iis, ut speculis, prospectu, an in Cluviano, ambulatione circa mare plana et explicata.

b) ἀλλ' οὐ δαιτὸς κ. τ. λ. Sunt verba Ulyxis apud Hom. Iliad. IX 218. et sqq. Sed nobis curae non est convivio suavi operam dare, verum magnam cladem a Jove immis-sam intuentes extimescimus, incertum est, salvine futu-

ri, an interituri simus. His versibus utitur Cicero, ut demonstret, se ob horum temporum pericula non tantam ex utroque praedio capere voluptatem, quantam Attico forte capere videatur.

- c) *τέκνον ἐμὸν κ. τ. λ. mi fili, tibi data non sunt bellica munera, verum tu placida persequere munera eloquentiae.* Verba sunt Jovis ad Venerem ap. Hom. Iliad. V. 428., quae Cicero sic ad se adcommodat, ut pro *γάμοισι*, quod est apud Homerum, reponat *λόγοισι*; aliquando Cicero ipse diserte fatetur, sibi ingenium non esse ad artem imperatoriam.

A.

Antonius Consul S. D. M. Ciceroni.

Occupationibus est factum meis, et subita tua perfectione, ne tecum coram de hac re agerem. Quam ob causam vereor, ne absentia mea levior sit apud te. Quod si bonitas tua responderit iudicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A Caesare petii, ut Sex. Clodium restitueret; impetravi. Erat mihi in animo tum sic uti beneficio ejus, si tu concessisses. Quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. Quod si duriores te ejus miserae et afflictæ fortunæ præbes: non contendam ego adversus te. Quamquam videor debere tueri commentarium Caesaris. Sed mehercule, si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te præbebis, et voles P. Clodium in optima spe puerum repositum, existimare, non te insectatum esse, quum potueris, amicos paternos. Patere, obsecro, te pro re publica videri gessisse similitatem cum patre ejus. Non contemseris hanc familiam. Honestius enim et libentius deponimus inimicitias rei publicæ nomine susceptas, quam contumaciae. Me deinde sine ad hanc opinionem jam nunc dirigere puerum, et tenero animo ejus persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Quamquam tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abesse, certum habeo; tamen arbitror, male te quietam senectutem et honorificam potius agere, quam sollicitam. Postremo meo jure te hoc beneficium rogo. Nihil enim non

non tua causa feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum, ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praeebeas,

B.

Cicero Antonio Cons. S.

Quod mecum per literas agis, unam ob causam mallem coram egisse. Non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu et oculis et fronte, (ut ajunt,) meum erga te amorem perspicere potuisses. Nam quum te semper amavi, primum tuo studio, post etiam beneficio provocatus; tum his temporibus res publica te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. Literae vero tuae, quum amantissime, tum honorificentissime scriptae, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te, ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito, servare nolles, quum id nullo negotio facere posses. Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto; atque ita, ut me a te, quum his verbis scripseras, liberalissime atque honorificentissime tractatum existimem: idque quum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem; tum do etiam humanitati et naturae meae. Nihil enim umquam non modo acerbum in me fuit, sed ne paullo quidem tristius, aut severius, quam necessitas rei publicae postulavit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meum insigne odium fuerit umquam; semperque ita statui, non esse insectandos inimicorum amicos, praesertim humiliores; nec his praesidiis nosmet ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut ejus animum tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familiis nostris arbitretur. Contendi cum P. Clodio, quum ego publicam causam, ille suam defenderet. Nostras concertationes res publica dijudicavit. Si viveret, mihi cum illo nulla contentio jam maneret. Quare, quoniam hoc a me sic petis, ut, quae tua po estas est, ea neget te me invito usurum: puero quoque hoc a me dabis, si tibi videbitur; non quo aut aetas nostra ab illius aetate quidquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea ullam contentionem

extimescat: sed ut nosmet ipsi inter nos conjunctiones simus, quam adhuc fuimus. Interpellantibus enim his inimicitii animus tuus mihi magis patuit, quam domus. Sed haec hactenus. Illud extremum: ego, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitror, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. Hoc velim tibi penitus persuadeas.

2. Ex Plinii Caecilii Secundi Epistolis.

Lib. I. 3.

Quaerit, an omnia delectationem adjuvantia bene se adhuc habeant, petitque, ut in iis locis non ad rem familiarem sed ad studia incumbat. Prius probatur, quia rei familiari vacans ex vulgo est; posterius, quia, quae studiis laus comparatur, propria ei semper manet.

C. Plinius Caninio Rufo Suo S.

Quid agit Comum *), tuae meaeque deliciae? quid suburbanum amoenissimum? quid illa porticus, verna semper? quid πλατανων opacissimus? quid Euripus viridis et gemmeus? quid subjectus et serviens lacus? quid illa mollis et tamen solida gestatio? quid balneum illud, quod plurimus sol implet et circumit? quid triclinia illa popularia? quid illa paucorum? quid cubacula diurna nocturna? possidentne te, et per vias partiuntur? An, ut solebas, intentione rei familiaris obeundae, crebris excursionibus avocaris? Si te possident, felix beatusque es: sin minus, unus ex multis. Quin tu (tempus est enim) humiles et sordidas curas aliis mandas: et ipse te in alto isto pinguique secessu studiis adseris. Hoc sit negotium tuum, hoc otium, hic labor, haec quies; in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur. Hoc nunquam tuum desinet esse, si semel coeperit. Scio, quem animum, quod hortor ingenium. Tu modo enitere, ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris. Vale.

*) *Comum*, sc. Novum *Comum* patria fuit Plinii, olim mediocri oppidum. Hodie vocatur *Como*, ad lacum *Lario* altum, ob mercaturam celeberrimum.

Lib. I. 9.

Hortatur Minutium, ut urbem relinquat seque in praedium suum conferat; quia in urbe turbatur animus, tempus male transigitur, multaque, quorum deinde nos poenitet, aguntur; in secessu animus non turbatur.

C. Plinius Minutio Fundano Suo S.

Mirum est, quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur: pluribus junctisque non constet. Nam si quem interrogas: *Hodie quid egisti?* respondeat, officio togae virilis interfui; sponsalia aut nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit. Haec quo die feceris, necessaria; eadem, si quotidie fecisse te reputes, inania videntur: multo magis, quum secesseris. Tunc enim subit recordatio: *quot dies quam frigidis rebus absumsi?* Quod evenit mihi, postquam in Laurentino meo aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco; cujus fulturis animus sustinetur. Nihil audio, quod audisse, nihil dico, quod dixisse poeniteat. Nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit: neminem ipse reprehendo, nisi unum me, quum parum commode scribo: nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor; mecum tantum et cum libellis loquor. Rectam sinceramque vitam! dulce otium honestumque, ac paene omni negotio pulchrius! o mare! o litus! verum secretumque *μυστήριον*, quam multa invenitis, quam multa dictatis! Proinde tu quoque strepitum istum inanemque discursum et multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque, teque studiis vel otio trade. Satius est enim, ut *Attilius* noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere. Vale.

Lib. I. 10.

Duo in hac epistola agit Plinius. Primo Romae studia literarum florere probat exemplo Euphratis, quem laudat ab eruditione, a summa docendi facultate, a statura corporis eleganti, a vitae suavitate: a conversatione, quam cum aliis instituit, utili et a socio. Secundo admonet Atrium Clementem, ut illius institutione utatur; doletque sibi ob negotia publica non idem licere.

C. Plinius Atrio Clementi Suo S.

Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt: suffecerit unum, Euphrates philosophus. Hunc ego in Syria, quum adolescentulus militarem, penitus et domi inspexi, amarique ab eo laboravi, etsi non erat laborandum. Est mihi obvius et expositus plenusque humanitate, quam praecipit. Atque utinam sic ipse, quam spem tunc ille de me concepit, impleverim, ut ille multum virtutibus suis addidit: aut ego nunc illas magis miror, quia magis intelligo: quamquam ne nunc quidem satis intelligo. Ut enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex judicare, ita, nisi sapiens, non potest perspicere sapientem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in Euphrate sic eminenter elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant et adficiant. Disputat subtiliter, graviter, ornate, frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit. Sermo est copiosus et varius; dulcis in primis et qui repugnantes quoque ducat et impellat. Ad haec proceritas corporis vel decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba: quae licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis adquirunt. Nullus horror in cultu; nulla tristitia, multum severitatis; reverearis occursum, non reformides. Vitae sanctitas summa, comitas par. Insectatur vitia, non homines: nec castigat errantes, sed emendat. Sequaris monentem attentus et pendens, et persuadere tibi, etiam quum persuaserit, cupias. Jam vero liberi tres, duo mares, quos diligentissime instituit. Socer Pompejus Julianus, quum cetera vita, tum vel hoc uno magnus et clarus, quod ipse provinciae princeps hunc inter altissimas condi-

tio-

tiones generum non honoribus principem sed sapientia elegit. Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? An ut magis angar, quod non licet? Nam distringor officio ut maximo sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas; scribo plurimas sed illiteratissimas literas. Soleo nonnumquam (nam id ipsum quando contingit!) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me consolatur; adfirmat, etiam esse hanc philosophiae et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam, quaeque ipsi doceant, in usu habere. Mihi tamen hoc unum non persuadet, satius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo discendoque consumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, quum in urbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius) illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego (ut multi) invideo aliis bonum, quo ipse careo; sed contra, sensum quemdam voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse. Vale.

Lib. I. 16.

Vult Plinius, ut Euricius cum eo diligenter tractet Saturnini scripta, quem commendat ut optimum causarum patronum, oratorum veterum aemulum, historicum suavissimum, poetam Catullo et Calvo simillimum: ubi simul aliquid de docta ejus uxore adsergit. Tandem occupando removet, vivorum libros haud esse legendos.

C. Plinius Euricio Suo S.

Amabam Pompejum Saturninum, hunc dico nostrum: laudabamque ejus ingenium etiam ante, quam scirem, quam varium, quam flexile, quam multiplex esset; nunc vero totum me tenet, habet, possidet. Audi vi causas agentem acriter et ardentem; nec minus polite et ornate, sive meditata, sive subita proferret. Adsunt aptae crebraeque sententiae, gravis et decora constructio, sonantia verba et antiqua. Omnia haec mire placent, quum impetu quodam et flumine praevehuntur: placent, si retractentur. Senties, quod ego, quum orationes ejus in manus sumseris, quas
fa-

facile cuilibet veterum quorum est aemulus, comparabis. Idem tamen in historia magis satisfaciet vel brevitate, vel luce, vel suavitate, vel splendore etiam et sublimitate narrandi. Nam in concionibus idem, qui in orationibus, est: pressior tamen et circumscriptior et adductor. Praeterea facit versus, quales Catullus aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris inserit! sed data opera, mollibus lenibusque, duriusculos quosdam: et hoc, quasi Catullus aut Calvus. Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi, quae sive uxoris sunt, ut adfirmat, sive ipsius, ut negat, pari gloria dignus est; qui aut illa componat, aut uxorem, quam virginem accepit, tam doctam politamque reddiderit. Est ergo mecum per diem totum; eundem, antequam scribam: eundem, quum scripsi, eundem etiam, quum remittor, non tamquam eundem lego. Quod te quoque, ut facias, et hortor et moneo. Neque enim debet operibus ejus obesse, quod vivit. An si inter eos, quos numquam v. dimus, floruisset, non solum libros ejus, verum etiam imagines conquireremus: ejusdem nunc honor praesentis et gratia quasi satietate languescet? At hoc pravum malignumque est non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, adloqui, audire, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit. Vale.

Lib. I. 22.

Causam, cur tandiu in urbe remaneat, reddit; quia T. Ariston aegrotat. Hunc describit a vitae sanctitate et doctrina; a juris peritia et cura, quam in respondendo et loquendo adhibet: a temperantia et patientia, qua in gravissimo morbo utitur in amicorum solatium. Tandem petit, ut ipsi quoque scribat, quid jam agat, et ubi quid agere velit.

C. Plinius Catilio Severo Suo S.

Diu jam in urbe haereo, et quidem attonitus. Perturbat me longa et pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter et miror et diligo. Nihil est enim illo gravius, sanctius, doctius: ut mihi non unus ho-

Select. Exempl. Vol. I. N mo,

mo, sed literae ipsae omnesque bonae artes in uno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus ille et privati juris et publici! quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est. Jam quanta sermonibus ejus fides! quanta auctoritas! quam pressa et decora cunctatio! quid est, quod non statim sciat? Et tamen plerumque haesitat: dubitat diversitate rationum, quas acri magnoque iudicio ab origine causisque primis repetit, discernit, expendit. Ad haec quam parcus in victu! quam modicus in cultu! Soleo ipsum cubiculum ejus ipsumque lectum, ut imaginem quamdam praeae frugalitatis, adspicere. Ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: recteque facti, non ex populi sermone, mercedem, sed ex facto petit. In summa, non facile quemquam ex istis, qui sapientiae studium habitu corporis praeferrunt, huic viro comparabis. Non quidem gymnasia sectatur aut porticus; nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectat: sed in toga negotiisque versatur: multos advocatione, plures consilio juvat. Nemi- ni tamen istorum castitate, pietate, justitia, fortitudine etiam primo loco cesserit. Mirareris, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem toleret, ut dolori resistat, ut sitim differat, ut incredibilem febrium ardorem immotus opertusque transmittat. Nuper me paucosque mecum, quos maxime diligit, advocavit rogavitque, ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut, si esset insuperabilis, sponte exiret vita, sin tantum difficilis et longa, resisteret maneretque. Dandum enim precibus uxoris, dandum filiae lacrimis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modo non essent inanes, voluntaria morte dereret. Id ego arduum in primis, et praecipua laude dignum puto. Nam impetu quodam et instinctu procurere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero et causas ejus expendere, utque suaserit ratio, vitae mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi. Et medici quidem secunda nobis pollicentur: superest, ut promissis deus adnuat, tandemque me hac sollicitudine exsolvat, qua liberatus, Laurentinum meum, hoc est libellos et pugillares, studiosum-
que

que otium repetam. Nunc enim nihil legere, nihil scribere aut adsidenti vacat, aut anxio libet. Habes, quid timeam, quid optem, quid etiam in posterum destinem: tu quid egeris, quid agas, quid velis agere, invicem nobis, sed laetioribus epistolis, scribe. Erit confusio meae non mediocri solatium, si tu nihil queres. Vale.

Lib. II. 1.

Plinius Voconium Romanum certiore reddidit de exequiis, Verginio habitis, cujus res gestas describit, mortis causam addit, et exequias ipsas laudat. Verginii mortem sibi delectandam probat, quia fuit exemplar aevi prioris ex eadem regione, qua Plinius ortus, Pliniique tutor, et quia multis honoribus Plinium auxit. Sub finem addit elegantem de Verginii immortalitate meditationem.

C. Plinius Secundus Romano Suo S.

Post aliquot annos insigne atque etiam memorabile populi Romani oculis spectaculum exhibuit publicum funus Verginii Rufi, maximi et clarissimi civis, perinde felicitis. Triginta annis gloriae suae supervixit. Legit scripta de se carmina, legit historias, et posteritati suae interfuit. Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, quum principis nolisset. Caesares, quibus suspectus, atque etiam invisus virtutibus fuerat, evasit *a*). Reliquit incolumem optimum atque amicissimum, tamquam ad hunc ipsum honorem publici funeris reservatus *b*). Annum tertium et octogesimum excessit in altissima tranquillitate pari veneratione. Usus est firma valetudine, nisi quod solebant ei manus tremere, ultra dolorem tamen: aditus tantum mortis durior longiorque, sed hic ipse laudabilis. Nam quum vocem praepararet, acturus in consulatu principi gratias: liber, quem forte acceperat grandiosem, et seni et stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum consequitur colligitque, per laeve et lubricum pavementum, fallente vestigio, cecidit, coxamque fregit, quae parum apte collocata, reluctantem aetate, male coiit. Hujus viri exequiae magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam foro et rostris attulerunt. Laudatus est a consule Cor-

nelio Tacito: nam hic supremus felicitatis ejus cumulus accessit; laudator eloquentissimus. Et ille quidem plenus annis obiit, plenus honoribus, illis etiam, quos recusavit: nobis tamen quaerendus ac desiderandus est, ut exemplar vitae prioris: mihi vero praecipue, qui illum, non solum publice sed etiam privatim, quantum admirabar, tantum diligebam; primum quod utrique eadem regio, municipia finitima, agri etiam possessionesque conjunctae: praeterea quod ille tutor mihi relictus adfectum parentis exhibuit. Sic candidatum me suffragio ornavit: sic ad omnes honores meos ex secessibus adcurrit, quum jampridem ejusmodi officiis renuntiasset: sic illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat. Quin etiam in hac novissima valetudine veritus, ne forte inter quinque viros crearetur, qui minuendis publicis sumtibus iudicio senatus constituebantur, quum illi tot amici senes consularesque superesset, me hujus aetatis, per quem excusaretur, elegit, his quidem verbis, *etiam si filium haberem, tibi mandarem*. Quibus ex causis necesse est, tamquam immaturam mortem ejus in sinu tuo defleam: si tamen fas est, aut flere aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est. Vivit enim, vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabitur, postquam ab oculis recessit. Volui tibi multa alia scribere, sed totus animus in hac una contemplatione defixus est. Verginium cogito, Verginium video, Verginium jam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio, adloquor, teneo; cui fortasse cives aliquos virtutibus pares et habemus et habebimus, gloria neminem.

- a) *Caesares* — — — *evasit*, intelligit Neronem, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Domitianum, quorum invidiam atque insidias superavit integritate sua.
- b) *reliquit* — — *reservatus*, reliquit optimum sc. Trajanum; observa hic casus permutationem, quum illud, quod ante in accusativo erat positum, in nominativo ponitur. Quod tamen contra linguae latinae naturam non est: sic enim facillime suppletur: *reliquit amicissimum sibi Trajanum, tamquam reservatus esset ad hoc munus publicum*.

Lib. II. 6.

Admonet Avitum, ut luxuriam cum avaritia conjunctam fugiat, Ridiculum hoc esse docet exemplo ejus, qui in convivio haec conjuncta exhibebat. Simul viam ostendit, quomodo omnibus aequali modo distribuere sine ullo incommodo nostro possimus.

C. Plinius Avito Suo S.

Longum est alius repetere, nec refert, quemadmodum acciderit, ut homo minime familiaris coenam apud quemdam ut sibi videbatur, lautum et diligentem: ut mihi, sordidum simul et sumtuosum; nam sibi et paucis optima quaedam, ceteris vilia et minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi; aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet), aliud suis nostrisque libertis. Animadvertit, qui mihi proximus recumbebat, et, an probarem, interrogavit. Negavi. *Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono. Ad coenam enim, non ad notam, invito: cunctisque rebus exaequo, quos mensa et toro aequavi. Etiamne libertos? Etiam. Convictores enim tunc, non libertos, puto.* Et ille: *Magni tibi constat. Minimo. Qui fieri potest? Potest. Quia scilicet liberti mei non idem, quod ego, bibunt, sed idem ego, quod liberti.* Et hercule, si gulae temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumtibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam aliena contumelia, consulas. Quorsum haec? Ne tibi optimae indolis juveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo praemonere, quid debeas fugere. Igitur memento, nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriae et sordium novam societatem; quae quum sint turpissima discreta ac separata, turpius junguntur. Vale.

Lib. II. 7.

Statuam Spurinnae et Cottio filio ejus positam esse gaudet. quia uterque hoc honore se dignum reddidit, ille fortitudine, hic aliis, quibus excellit, virtutibus, et quia hoc alios ad similia facinora audenda excitabit.

C. Plinius Macrino Suo S.

Heri a senatu Vestricio Spurinnae, Principe auctore, triumphalis statua decreta est: non ita, ut multis, qui numquam in acie steterunt, numquam castra viderunt; numquam denique tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt: verum ut illis, qui decus istud sudore et sanguine et factis adsequebantur. Nam Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum: ostentatoque bello, ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum victoriae genus) terrore perdomuit, et hoc quidem virtutis praemium, illud solatium doloris accepit, quod filio ejus Cottio, quem amisit absens, habitus est honor statuae, Rarum id in juvene: sed pater hoc quoque merebatur, cujus gravissimo vulnere magno aliquo fomento medendum fuit. Praeterea Cottius ipse tam clarum specimen indolis dederat, ut vita ejus brevis et angusta debuerit hac veluti immortalitate proferri. Nam tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut posset senes illos provocare virtute, quibus nunc honore adaequatus est. Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriae, dolori patris, verum etiam exemplo prospectum est. Acuent ad bonas artes juventutem adolescentibus quoque (digni sint modo) tanta praemia constituta: acuent principes viros ad liberos suscipiendos et gaudia ex superstitionibus, et ex amissis tam gloriosa solatia. His ex causis statua Cotii publice laetor, nec privatim minus. Amavi consummatissimum juvenem tam ardentem, quam nunc impatienter requiro. Erit ergo pergratum mihi hanc effigiem ejus subinde respicere, sub hac consistere, praeter hanc commear. Etenim si defunctorum imagines domi positae dolorem nostrum levant, quanto magis hae, quibus in celeberrimo loco non modo species et vultus illorum, sed honor etiam et gloria refertur? Vale.

Lib. II, 10.

Hortatur Octavium, ut carmina sua vel edat, quia haec carmina jam dudum a multis sunt expectata, aliqua eorum jam in multorum manibus sunt, et ipse se reddet immortalem; vel certe recitet, quia haec carmina certe omnibus valde placebunt.

C. Plinius Octavio Suo S.

Hominem te patientem, vel potius durum ac paene crudelem, qui tam insignes libros tamdiu teneas! Quousque et tibi et nobis invidabis; tibi maximam laudem, nobis voluptatem? Sine per ora hominum ferantur, iisdemque, quibus lingua Romana spatii pervagentur. Magna etiam longaue expectatio est: quam frustrari adhuc et differre non debes. Enotuerunt quidam tui versus, et invito te claustra sua reffregerunt: hos nisi retrahis in corpus, quandoque, ut erroneos aliquem, cujus dicantur, invenient. Habe ante oculos mortalitatem: a qua adserere te hoc non monumento potes. Nam cetera fragilia et caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt desinuntque. Dices, ut soles: *Amici mei viderint*. Opto equidem amicos tibi tam eruditos, tam laboriosos, ut tantum curae intensionisque suscipere et possint et velint: sed dispice, ne sit parum providum sperare ex aliis, quod tibi ipse non praestes. Et de editione quidem interim, ut voles: recita saltem, quo magis libeat emittere: utque tandem percipias gaudium; quod ego olim pro te non temere praesumo. Imaginor enim, qui concursus, quae admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat. Quo ego, quum dico vel recito, non minus quam clamore delector; sit modo silentium acre et intentum et cupidum ulteriora audiendi. Hoc fructu tanto, tam parato, desine studia tua infinita ista cunctatione fraudare: quae quum modum excedit, verendum est, ne inertiae et desidiae, vel etiam timiditatis nomen accipiat. Vale.

Commendat Voconium Prisco, ut eum amet, ejusque honores augeat; quia Prisco ampla hoc efficiendi est occasio, et quia Voconius est vir optimus, quem laudat a parentibus, ingenii acumine, eruditione gestisque honoribus; tandem quia Plinio est amicissimus, et ab eo honoribus multis jam ornatus.

C. Plinius Prisco Suo S.

Et tu occasiones obligandi me avidissime amplecteris, et ego nemini libentius debeo. Duabus ergo de causis a te potissimum petere constitui, quod impetratum maxime cupio. Regis exercitum amplissimum; hinc tibi beneficiorum larga materia, longum praeterea tempus, quo amicos tuos exornare potuisti. Convertere ad nostros, nec hos multos. Malles tu quidem multos, sed meae verecundiae sufficit unus aut alter, ac potius unus. Is erit Voconius Romanus: pater ei in equestri gradu clarus, clarior vitricus, imo pater alius. Nam huic quoque nomini pietate successit. Mater e primis citerioris Hispaniae. Scis, quod judicium provinciae illius, scis quanta sit gravitas: ipse Flamen proxime fuit. Hunc ego, quum simul studeremus, arcte familiariterque dilexi: ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis: cum hoc seria, cum hoc jocos miscui. Quid enim aut illo fidelius amico: aut sodale jucundius, mira in sermone, mira etiam in ore ipso vultuque suavitas. Ad hoc, ingenium excelsum, subtile, dulce, facile, eruditum in causis agendis. Epistolae quidem scribit, ut Musas ipsas latine loqui credas. Amat a me plurimum, nec tamen vincitur. Equidem juvenis statim juveni, quantum potui per aetatem, avidissime contuli, et nuper ab optimo principe trium liberorum ei jus impetravi. Quod quamquam parce et cum delectu daret, mihi tamen, tamquam liceret, indulsit. Haec beneficia mea tueri nullo modo melius, quam ut augeam, possum: praesertim quum ipse illa tam grate interpretetur, ut dum priora accipit, posteriora mereatur. Habes qualis, quam probatus carusque sit nobis. Quem, rogo, pro ingenio, pro fortuna tua, exornes. In primis ama hominem. Nam licet tribuas ei, quantum amplissimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua: cujus esse eum

usque ad intimam familiaritatem capacem, quo magis scires, breviter tibi studia, mores, omnem denique vitam ejus expressi. Extenderem preces, nisi et tu rogari diu nolles, et ego tota hac epistola fecissem. Rogat enim et quidem efficacissime, qui reddit causas rogandi. Vale.

Lib. III. 1.

Describit in hac epistola Plinius Spurinnae rationem vivendi. Sub finem adjicit, se eundem vivendi modum optare, et in multis suis negotiis Spurinnae exemplum solatii loco habere.

C. Plinius Calvisio Suo S.

Nescio, an ullum jucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui; adeo quidem, ut neminem magis in senectute (si modo senescere datum est) aemulari velim; nihil est enim illo vitae genere distinctius. Me autem, ut certus siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum praesertim. Nam juvenes adhuc confusa quaedam et quasi conturbata non indecent: senibus placida omnia et ordinata conveniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est. Hanc regulam Spurinna constantissime servat; quin etiam parva haec, (parva si non quotidie fiant,) ordine quodam et velut orbe circumagit. Mane lectulo continetur: hora secunda calceos poscit: ambulat millia passuum tria: nec minus animum, quam corpus exercet. Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur: si non, liber legitur: interdum etiam praesentibus amicis, si tamen illi non gravantur. Deinde considit, et liber rursus, aut sermo libro potior: mox vehiculum adscendit: adsumit uxorem singularis exempli vel aliquem amicorum, ut me proxime. Quam pulchrum illud, quam dulce secretum! quantum ibi antiquitatis! quae facta, quos viros audias! quibus praeceptis imbuare! quamvis ille hoc temperamentum modestiae suae indixerit, ne praecipere videatur. Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille, iterum residit, vel se cubiculo ac stylo reddit. Scribit enim, et quidem utraque lingua, lyrica doctissime. Mira illis dulcedo, mira suavitas, mira hilaritas: cujus gratiam cumulat sanctitas scribentis. Ubi
hera

hora balnei nuntiata est, (est autem hieme nona, aestate octava) in sole, si caret vento, ambulat nudus. Deinde movetur pila vehementer et diu. Nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. Lotus adcubat, et paulisper cibum differt: interim audit legentem remissius aliquid et dulcius. Per hoc omne tempus liberum est amicis vel eadem facere vel alia, si malint. Adponitur coena non minus nitida quam frugi in argento puro et antiquo. Sunt in usu et Corinthia, quibus delectatur, nec adfcitur. Frequenter comœdis coena distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur. Sumit aliquid de nocte et aestate. Nemini hoc longum est; tanta comitate convivium trahitur. Inde illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer; inde agile et vividum corpus, solaque ex senectute prudentia. Hanc ego vitam voto et cogitatione praesumo, ingressurus avidissime, ut primum ratio aetatis receptui canere permiserit. Interim mille laboribus contoror, quorum mihi et solatium et exemplum est idem Spurinna. Nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, provincias rexit, multoque labore hoc otium meruit. Igitur eundem mihi cursum, eundem terminum statuo, idque jam nunc apud te subsigno: ut si me longius evehi videris, in jus voces ad hanc epistolam meam, et quiescere jubeas, quam inertiae crimen effugero. Vale.

Lib. II. 14.

Narrat Acilio, quid Macedoni acciderit, duabus vicibus in balneo:
 1. ferme occisum eundem fuisse a servis, nisi mortem simulasset;
 2. in balneum iturum ab equite fuisse percussum.

C. Plinius Acilio Suo S.

Rem atrocem, nec tantum epistola dignam, Largius Macedo, vir praetorius, a servis suis passus est: superbus alioquin dominus et saevus, et qui, servisse patrem suum, parum, imo minimum meminisset. Lavabatur in villa Formiana: repente eum servi circumstant: alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus: et quum exanimem putarent, abjiciunt in fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret. Ille,
 sive

sive quia non sentiebat, sive quia non sentire simula-
bat, immobilis et extensus fidem peractae mortis im-
plevit. Tum demum, quasi aestu solutus, effertur:
excipiunt servi fideliores, qui cum ululatu et clamore
concurrunt. Ita et vocibus excitatus, et recreatus loci fri-
gore, sublatis oculis agitatoque corpore, vivere se (et
jam tutum erat) confitetur. Diffugiunt servi: quorum
magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur: ipse
paucis diebus aegre refocillatus, non sine ultionis so-
lacio decessit, ita vivus vindicatus, ut occisi solent.
Vides, quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis
simus obnoxii. Nec est, quod quisquam possit esse se-
curus, quia sit remissus et mitis. Non enim iudicio do-
mini, sed scelere, perimuntur. Verum haec hactenus.
Quid praeterea novi? Quid? Nihil: alioquin subjun-
gerem. Nam et charta adhuc superest, et dies feriatus
patitur plura contexi. Addam, quod opportune de eodem
Macedone succurrit. Quum in publico Romae lavare-
tur, notabilis atque etiam, ut exitus docuit, ominosa
res accidit. Eques Romanus a servo ejus, ut transitum
daret, manu leviter admonitus, convertit se, nec ser-
vum, a quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam
graviter, palma percussit, ut paene cederet. Ita
balineum illi, quasi per gradus quosdam, primum con-
tumeliae locus, deinde exitii fuit. Vale.

Lib. IV. 8.

Arrianum jure sibi gratulatum esse, Plinius adfirmat, 1. quia pul-
chrum est, si principes bene de nobis sentire cognoscimus, 2. quia
adeptus est munus religiosum et per vitam durans, 3. quia Julio
Frontino successit. Gavisus erat Arrianus in suis literis, quod
aemulaturus sit in auguratu Ciceronem; optat igitur Plinius, ut ei
ingenio quoque similis reddatur.

C. Plinius Arriano Suo S.

Gratularis mihi, quod acceperim auguratum: jure
gratularis. Primum, quod gravissimi principis judi-
cium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est:
deinde quod sacerdotium ipsum quum priscum et reli-
giosum, tum hoc quoque sacrum plane et insigne est,
quod non adimitur viventi. Nam alia, quamquam di-
gni-

gnitate propemodum paria, ut tribuuntur, sic auferuntur. In hoc fortunae hactenus licet, ut dari possit. Mihi vero illud etiam gratulatione dignum videtur, quod successi Julio Frontino, principi viro; qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tamquam in locum suum cooptaret. Quod nunc eventus ita comprobavit, ut non fortuitum videretur. Te quidem, ut scribis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. Laetaris enim, quod honoribus ejus insistam, quem aemulari in studiis cupio. Sed utinam, ut sacerdotium, idem et consulatum, multo etiam juvenior quam ille, sum consequutus: ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte adsequi possim! Sed nimirum quae sunt in manu hominum, et mihi et multis contigerunt: illud vero ut adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est, quod dari nisi a diis non potest. Vale.

Lib. IV. 23.

Laudat Pomponium, quod otio recte utatur, quia ita vivendum est viro, antea negotiis publicis occupatissimo, nunc vero senectute fesso. Optat, ut simili modo sibi contingat otio frui.

C. Plinius Pomponio Basso Suo S.

Magnam cepi voluptatem, quum ex communibus amicis cognovi, te, ut sapientia tua dignum est, et disporre otium et ferre, habitare amoenissime, et nunc terra, nunc mari corpus agitare, multum disputare, multum audire, multum lectitare; quumque plurimum scias, quotidie tamen aliquid addiscere. Ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicae, quamdiu decebat, obtulerit. Nam et prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae majorem annis LX. otio reddunt. Quando mihi licebit? quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcherrimae quietis exemplum, quando secessus mei non desidia nomen, sed tranquillitatis accipiet? Vale.

Lib.

Lib. V. 16.

Causas doloris ob mortem filiae Fundani narrat, tum Fundanum ipsum dolori se totum dare; rogatque Marcellinum, ut solatia apud illum adhibere tentet, sed mollia, non castigatoria.

C. Plinius Marcellino Suo S.

Tristissimus haec tibi scribo. Fundani nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil umquam festivius *a*), amabilius, nec modo longiore vita, sed prope immortalitate, dignius vidi. Nondum annos quatuordecim impleverat, et jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat: et tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia. Ut illa patris cervicibus inhaerebat! ut nos amicos paternos et amanter et modeste complectebatur! ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores, pro suo quemque officio, diligebat! quam studiose, quam intelligenter lectitabat! ut parce custoditeque ludebat *b*)! qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia novissimam valetudinem tulit! medicis obsequabatur, sororem, patrem adhortabatur, ipsamque se destitutam corporis viribus, vigore animi sustinebat. Duravit hic illi usque ad extremum, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est; quo plures gravioresque nobis causas relinqueret et desiderii et doloris. O triste plane acerbumque funus! o morte ipsa mortis tempus indignius! Jam destinata erat egregio juveni; jam electus nuptiarum dies, jam nos vocati. Quod gaudium quo moerore mutatum est! Non possum exprimere verbis, quantum animo vultus acceperim, quum audivi, Fundanum ipsum, ut multa luctuosa dolor invenit, praecipientem, quod in vestes, margarita, gemmas fuerat erogaturus, hoc in thus et unguenta et odores impenderetur. Est quidem ille eruditus et sapiens, ut qui se ab incunte aetate altioribus studiis artibusque dederit: sed nunc omnia, quae audiit saepe, quae dixit, aspernatur; expulsisque virtutibus aliis, pietatis est totus. Ignosces, laudabis etiam, si cogitaveris, quid amiserit. Amisit enim filiam, quae non minus mores ejus, quam os vultumque referebat, totumque patrem mira similitudine exscripserat. Proinde si quas ad eum de dolore tam justo literas mittes: memento adhibere solatium, non qua-

quasi castigatorium et nimis forte, sed molle et humanum. Quod ut facilius admittat, multum faciet medii temporis spatium. Ut enim crudum adhuc vulnus dentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit; sic recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit, mox desiderat, et clementer admotis adquiescit. Vale.

- a) *qua puella nihil umquam festivius*, puella, libero semperque sereno animo praedita, animi sensa liberrime expromens, jocosque interdum, sed commode neque contra decorum, sermonibus suis admiscens, dicitur *festiva*.
 b) *parce custoditeque ludebat*, magnam curam adhibens, ne modum ludendo excederet, et decorum sic semper *custodiens*.

Lib. V. 19.

Rogat Paullinum, ut villam suam concedat Zosimo, liberto Plinii, sibi carissimo, ut in Paullini villa remedium morbo suo inveniat; quia aër ibi saluberrimus, et lac curationi morbi ejus praecipue adcommodatum.

C. Plinius Paullino Suo S.

Videō, quam molliter tuos habeas: quo simplicius tibi confitebor, qua indulgentia meos tractem. Est mihi semper in animo et Homericum illud, *πατήρ δ' ὡς ἥπιος ἦεν**), et hoc nostrum, *paterfamilias*. Quod si essem natura asperior et durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei Zosimi; cui tanto major humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis eget. Homo probus, officiosus, literatus, et ars quidem ejus, et quasi inscriptio, Comoedus, in qua plurimum facit. Nam pronuntiat acriter, sapienter, apte, decenter etiam; utitur et cithara perite, ultra quam comoedo necesse est. Idem tam commode orationes et historias et carmina legit, ut hoc solum didicisse videatur. Haec tibi sedulo exposui, quo magis scires, quam multa unus mihi, et quam jucunda ministeria praestaret. Accedit longa jam caritas hominis, quam ipsa pericula auxerunt. Est enim ita natura comparatum, ut nihil aequè amorem incitet et accendat, quam carendi metus, quem ego pro hoc non semel patior. Nam ante aliquot annos, dum intente instanterque pronuntiat,

san-

sanguinem rejecit, atque ob hoc in Aegyptum missus a me, post longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus, rursus sanguinem reddidit. Qua ex causa destinavi eum mittere in praedia tua, quae Forojulii possides. Audivi enim te saepe referentem, esse ibi et aërem salubrem et lac hujusmodi curationibus adcommodatissimum. Rogo ergo, scribas tuis, ut illi villa, ut domus pateat; offerant etiam sumtibus ejus, si quid opus erit: erit autem opus medico. Est enim tam parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat. Ego proficiscenti tantum viatici dabo, quantum sufficiat eunti in tua. Vale.

*) i. e. tamquam pater, mitis erat.

Lib. VI. 6.

Rogat Fundanum, ut se, pro Julio Nasone petiturum, adjuvet.

C. Plinius Fundano Suo S.

Si quando, nunc praecipue cuperem esse te Romae, et sis, rogo. Opus est mihi voti, laboris, sollicitudinis socio. Petit honores Julius Naso: petit cum multis, cum bonis; quos ut gloriosum, sic est difficile superare. Pendeo ergo et exerceo, adficio metu et me consularem esse non sentio. Nam rursus mihi videor omnium, quae decurri, candidatus. Meretur hanc curam longa mei caritate. Est mihi cum illo non sane paterna amicitia (neque enim esse potuit per meam aetatem) solebat tamen vix tum adolescentulo mihi pater ejus cum magna laude monstrari. Erat non studiorum tantum, verum etiam studiosorum amatissimus: ac prope quotidie ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quinctilianum et Niceten Sacerdotem ventitabat: vir alioqui clarus et gravis, et qui prodesse filio memoria sui debeat. Sed multi nunc in senatu, quibus ignotus ille, multi, quibus notus, sed non nisi videntes reverentur: quo magis huic, omissa gloria patris, in qua magnum ornamentum, gratia infirma, ipsi enitendum, ipsi laborandum est. Quod quidem semper, quasi provideret hoc tempus, sedulo fecit,

paravit amicos: quos paraverat, coluit: me certe, ut primum sibi judicare permisit, ad amorem imitationemque delegit. Dicenti mihi sollicitus adsistit, adsidet/recitanti: primis etiam et quum maxime nascentibus opusculis meis interest, nunc solus, ante cum fratre, cujus nuper amissi ego suscipere partes, ego vicem debeo implere. Doleo enim et illum immatura morte indignissime raptum, et hunc optimi fratris adjuvamento destitutum, solisque amicis relictum. Quibus ex causis exigo, ut venias, et suffragio meo tuum jungas. Permultum interest mea, te ostentare, tecum circumire. Ea est auctoritas tua, ut putem, me efficacius tecum etiam meos amicos rogaturum. Abrumpe, si qua te retinent. Hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas postulat. Suscepi candidatum, et suscepisse me notum est: ego ambio, ego periclitor. In summa, si datur Nasoni, quod petit, illius honor; si negatur, mea repulsa est. Vale.

Lib. VI. 21.

Verginii Romani probitatem et doctrinam, praesertim in comoedia scribenda laudat.

C. Plinius Caninio Suo S.

Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa et effeta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Atque adeo nuper audii Verginium Romanum paucis legentem comoediam ad exemplar veteris comoediae scriptam tam bene, ut esse quandoque possit exemplar. Nescio, an noris hominem, quamquam nosse debes. Est enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monstrabilis. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissime. Nullum est enim genus, quod absolutum, non possit eloquentissimum dici. Scripsit comoedias. Menandrum aliosque aetatis ejusdem aemulatus. Licet has inter Plautinas Terentianasque numeres. Nunc primum se in veterum comoedia, sed non tamquam inciperet, ostendit. Non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos deficit. Ornavit virtutes, in-

se-

sectatus est vitia, fictis nominibus decenter, veris usus est apte. Circa me tantum benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poëtis mentiri licet. In summa, extorquebo ei librum, legendumque, imo ediscendum mittam tibi. Neque enim dubito futurum, ut non deponas, si semel sumseris. Vale.

Lib. VII. 1.

Aegrotantem amicum hortatur, ut valitudinem patienter ferat, suoque exemplo docet, non indulgendum appetitui, sed medicis obtemperandum esse.

C. Plinius Secundus Geminio Suo S.

Terret me haec tua tam pertinax valitudo, et quamquam te temperantissimum noverim, vereor tamen, ne quid illi etiam in mores tuos liceat. Proinde moneo, patienter resistas. Hoc laudabile, hoc salutare. Admittit, humana natura, quod suadeo: ipse certe sic agere sanus cum meis soleo. Spero quidem, si forte in adversam valitudinem incidero, nihil me desideraturum vel pudore vel poenitentia dignum: si tamen superaverit morbus, denuntio, ne quid mihi detis, nisi permittentibus medicis; sciatisque, si dederitis, ita vindicaturum, ut solent alii, quae negantur. Quin etiam, quum perustus ardentissima febris, tandem remissus unctusque acciperem a medico potionem, porrexi manum, utque tangeret, dixi, admotumque jam labris poculum reddidi. Postea quum vicesimo valitudinis die balineo praepararer, musantesque medicos repente vidissem, causam requisivi. Responderunt, posse me tuto lavari, non tamen omnino sine aliqua suspitione. *Quid*, inquam, *neccesse est?* Atque ita spe balinei, cui videbar inferri, placide leniterque dimissa, ad abstinentiam rursus non secus, ac modo ad balineum, animum vultumque composui. Quae tibi scripsi, primum, ut te non sine exemplo monerem, deinde, ut in posterum ipse ad eandem temperantiam adstringerer, quum me hac epistola quasi pignore obligavissem. Vale.

Quaerenti amico rationem exercendi styli praescribit.

C. Plinius Cornelio Fusco Suo S.

Quaeris, quemadmodum in secessu, quo jam diu fruis, putem te studere oportere. Utile in primis, et multi praecipunt, vel ex graeco in latinum, vel ex latino vertere in graecum: quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur; simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc et iudicium adquiritur. Nihil obfuerit, quae legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi aemulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, si non nulla tu; magnus pudor, si cuncta ille melius. Licebit interdum et notissima eligere, et certare cum electis. Audax haec, non tamen improba, quia secreta, contentio: quamquam multos videmus ejusmodi certamina sibi cum multa laude sumsisse, quosque subsequi satis habebant, dum non desperant, antecessisse. Poteris et, quae dixeris, post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire, alia interscribere. Laboriosum istud et taedio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex integro, et resumere in petum fractum omissumque: postremo nova velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare. Scio nunc tibi esse praecipuum studium orandi; sed non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stylum suaserim. Ut enim terrae variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur. Volo, interdum aliquem ex historia locum adprehendas: volo, epistolam diligentibus scribas, volo carmina. Nam saepe in orationes quoque non historica modo, sed prope poetica descriptionum necessitas incidit; et pressus sermo purusque ex epistolis petitur. Fas est carmine remitti, non dico continuo et longo, (id enim perfici nisi in otio non potest), sed hoc arguto et brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus

vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria consequuntur: atque adeo, cur enim te ad versus non versibus adhorter?

*Ut laus est cerac, mollis cedensque sequatur
Si doctos digitos, jussaque fiat opus;
Et nunc informet Martem castamque Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum,
Utque sacri fontes non sola incendia sistunt,
Saepe etiam flores vernaque prata juvant:
Sic hominum ingenium flecti lucique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.*

Itaque summi oratores, summi etiam viri sic se aut exercebant aut delectabant, imo delectabant exercebantque. Nam mirum est, ut his opusculis animus intendatur remittaturque. Recipiunt enim amores, odia, iras, misericordiam, urbanitatem, omnia denique, quae in vita atque etiam in foro causisque versantur. Inest his quoque eadem, quae aliis carminibus, utilitas, quod metri necessitate devincti, soluta oratione laetamur, et quod facilius esse comparatio ostendit, libentius scribimus. Habes plura etiam fortasse, quam requiras; unum tamen omisi. Non enim dixi, quae legenda arbitrarer: quamquam dixi, quum dicerem, quae scribenda. Tu memineris, sui cujusque generis auctores diligenter eligere. Ajunt enim, *multum legendum esse, non multa*. Qui sint hi, adeo notum probatumque est, ut demonstratione non egeat: et alioqui tam immodice epistola me extendi, ut dum tibi, quemadmodum studere debeas, suadeo, studendi tempus abstulerim. Quin ergo pugillares resumis, et aliquid ex his, vel istud ipsum, quod coeperas, scribis. Vale.

Lib. VII. 20.

Taciti librum, a se notatum, remittit; in suo libro vicem exspectat; et amicitia illius, studiorumque ac famae societate delectatur.

C. Plinius Tacito Suo S.

Librum tuum legi, et, quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere adsuevi, et tu libenter audi-

re. Nec enim ulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. Nunc a te librum meum cum annotationibus tuis exspecto. O jucundas, o pulchras vices! Quam me delectat, quod, si qua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, simplicitate, fide vixerimus. Erit rarum et insigne, duos homines, aetate, dignitate propemodum aequales, non nullius in literis nominis, (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico) alterum alterius studia fovisse. Equidem adolescentulus, quum jam tu fama gloriaque floreret, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia: sed tu mihi, ita similitudo naturae ferebat, maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod si quis de studiis sermo, una nominamur, quod de te loquentibus statim occurro. Nec desunt, qui utrique nostrum praeferantur. Sed nihil interest mea, quo loco jungimur. Nam mihi primus, qui a te proximus: quin etiam in testamentis debes adnotasse, nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus, eadem legata, et quidem pariter, accipimus. Quae omnia huc spectant, ut invicem ardentius diligamus, quum tot vinculis nos studia, mores, fama, suprema denique hominum iudicia constringant. Vale.

Lib. VIII. 17.

Exundationem Tiberis et Anienis narrat: rogat, ut sibi nuntietur, si quid simile in Transpadana accidisset.

C. Plinius Macrino Suo S.

Num isthic quoque immitte et turbidum caelum? Hic adsiduae tempestates et crebra diluvia. Tiberis alveum excessit, et demissioribus ripis alte superfunditur. Quamquam fossa, quam providentissimus imperator fecit, exhaustus, premit valles, innatat campis; quaque planum solum, pro solo cernitur. Inde, quae solet flumina accipere, et permixta devehere, velut obvius sistere cogit, atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit. Anio, delicatissimus annium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, fregit et

rapuit. Subruit montes, et decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quaerit, impulit tecta, ac se super ruinas ejecit atque extulit. Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tempestas deprehendit, alibi divitum adparatus, et gravem supellectilem, alibi instrumenta ruris; ibi boves, aratra, rectores, hic soluta et libera armenta; atque inter haec arborum truncos aut villarum trabes atque culmina, varie lateque fluitantia. Ac ne illa quidem loca malo vacaverunt, ad quae non ascendit amnis. Nam pro amne imber adsiduus et dejecti nubibus turbines: proruta opera, quibus pretiosa rura cinguntur, quassata atque etiam decussa monumenta. Multi ejusmodi casibus debilitati, obruti, obriti, et aucta luctibus damna. Ne quid simile isthic, pro mensura periculi, vereor, teque rogo, si nihil tale, quam maturissime sollicitudini meae consulas: sed et, si tale, id quoque nunties. Nam parvulum differt, patiaris adversa, an exspectes: nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi. Doleas enim, quantum scias accidisse, timeas, quantum possit accidere. Vale.

Lib. VIII. 22.

Exemplo non nullius, quem reticet, illos reprehendit, qui dare veniam, nisi sibi nesciunt.

C. Plinius Geminio Suo S.

Nostine hos, qui omnium libidinum servi, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant; et gravissime puniunt, quos maxime imitantur? quum eos etiam, qui non indigent clementia ullius, nihil magis quam lenitas deceat. Atqui ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tamquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet, tamquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitae genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt; mandemusque memoriae, quod vir mitissimus, et ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicebat; *qui vitia odit, homines odit*. Quaeris fortasse, quo commotus haec scribam? Nuper quidam — Sed melius coram. Quamquam ne tunc quidem. Vereor

reor enim, ne id, quod improbo, eos sectari, carpere, fere huic, quod quam maxime praecipimus, repugnet. Quisquis, ille, qualiscunque, sileatur, quem insignire, exempli non nihil, non insignire humanitatis plurimum refert. Vale.

Lib. IX. 3.

Bonam mansuramque famam omnibus aliis rebus anteposit.

C. Plinius Paulino Suo S.

Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bonae mansuraeque famae praesumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit. Ac mihi nisi praemium aeternitatis ante oculos, pingue illud altumque otium placeat. Etenim omnes homines arbitror oportere aut immortalitatem suam aut mortalitatem cogitare: et illos quidem contendere, eniti, hos quiescere, remitti, nec brevem vitam caducis laboribus fatigare; ut video multos misera simul et ingrata imagine industriae ad vilitatem sui pervenire. Haec ego tecum, quae quotidie tecum, ut desinam tecum, si dissenties tu; quamquam non dissenties, ut qui semper clarum aliquid et immortale meditaris. Vale.

Lib. IX. 5.

Tironis erga provinciales aequitate laetatur.

C. Plinius Tironi Suo S.

Egregie facis (inquiro enim, et persevero) quod justitiam tuam provincialibus multa humanitate commendas: cujus praecipua pars est, honestissimum quemque complecti atque ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligere. Plerique autem, dum verentur, ne gratiae potentiam nimium impertire videantur, sinisteritatis atque etiam malignitatis famam consequuntur. A quo vitio tu longe recessisti, scio: sed temperare mihi non possum, quo minus laudem, similis monenti, quod eum modum tenes, ut discrimina ordinum, dignitatumque custodias; quae si confusa, turbata, permista sunt, nihil est ipsa aequalitate inaequalius. Vale.

Lib.

Lib. IX. 22.

Passioni sinistra valitudine dolet, ejusque genus, mores, et ingenium laudat.

C. Plinius Severo Suo S.

Magna me sollicitudine adfecit Passieni Paulli valitudo, et quidem plurimis justissimisque de causis. Vir est optimus, honestissimus; praeterea in literis veteres aemulatur, exprimit, reddit; Propertium in primis, a quo genus ducit, vera soboles, eoque simillima illi, in quo ille praecipuus. Si elegos ejus in manus sumseris, leges opus tersum, molle, jucundum et plane in Propertii domo scriptum. Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, ut in illis illum alterum, effingi putes: si quid in studiis cognatio valet, et hujus propinquus. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, ut qui verissime; dolet, ut qui impatientissime; laudat, ut qui benignissime; ludit, ut qui facetissime: omnia denique tamquam singula absolvit. Pro hoc ego amico, pro hoc ego ingenio, non minus aeger animo, quam corpore ille, tandem illum, tandem me recepi. Gratulare mihi, gratulare etiam literis ipsis, quae ex periculo ejus tantum discrimen adierunt, quantum ex salute gloriae, consequentur. Vale.

3. Ex M. Antonii Mureti epistolis.

Lib. I. 1.

Exponit varias causas, propter quas epistolae expetantur; harum tamen nullam se reperire dicit, cur aliquis ipsius epistolarum librum videre velit. Amici tamen voluntati obsequuturus concedit, ut suarum epistolarum liber typis mandetur.

M. Antonius Muretus Joanni Nicotio Viro Clar.
Consiliario Regio S. D.

Multae causae sunt, Joannes Nicoti, vir clarissime, propter quas magnorum illustrium virorum epistolae expetantur. Sunt, quas sermonis nitor et elegantia, et nativa quaedam pulchritudo, nullo, ut videtur, artificio exulta, nullis pigmentis colorata commendat.

Sunt

Sunt contra, quae et verborum et sententiarum minime vulgato genere cultum et artificium ostendent. Nonnullae etiam ita scriptae sunt, historiam quasi quamdam contineant eorum temporum, quibus ii, qui illas scripsere, vixerunt. Atque hae, sive a disertis et ingenuarum artium scientia expolitis hominibus prodierint, tanto cupidius leguntur; sive etiam ab iis, qui lepore ac festiuitate dicendi caruerint, non tamen propterea negliguntur. *Historia enim*, ait Plinius, *quoquo modo scripta delectat*. Graves quaedam et philosophicae officii praecepta tradunt, falsas opiniones euellunt ex animis, quanta in virtute dignitas, quanta in vitiis turpitudine sit, docent; quo in genere Seneca excellit. Quaedam etiamsi ad res modo privatas et familiaria negotia pertinent, excitant tamen hominum studia, propter eorum, a quibus scriptae sunt, auctoritatem. Natura enim ita comparatum est, ut, quos admiramur et magni facimus, eorum omnia maxima, minima cognoscere cupiamus. Recteque ac vere Xenophon virorum virtute praestantia non seria modo, sed et joco digna esse ait, quae memoriae commendentur. Et certe si vascula quaedam, quibus illi usi erant, et alia, quae in eorum suppellectili ac frivolis fuerant, mortuis ipsis, cupidos emtores invenerunt: quomodo lucernam Epicteti mille drachmis, Protei Stoici baculum talento venditum accepimus: multo magis eorum quamlibet tenues et exiles epistolae in pretio esse debent. Sed ego haec omnia mecum agitans, causam tamen reperire nullam queo, cur aliquem epistolarum mearum librum videre multi isthuc, ut scribis, elegantis ingenii homines concupiscant. Sive enim latinae literas amant, et ad aliquam latine scribendi facultatem pervenire cupiunt: quisquamne est, qui, quum existent Ciceronis, Senecae, Plinii epistolae, non dicam ex meis, sed ex cujusquam, qui his mille annis vixerit, latinae linguae aut integritatem aut copiam sibi petendam putet? Idem etiam de illo qualicumque scribenda epistolae artificio dixerim. Quid enim aut Plinio limatius, aut Seneca gravius, aut Cicerone in omni genere perfectius optari potest? Gravidarum mulierum morbus ille fuerit, quae, neglectis bonis ac salubribus cibis, cinere se nonnumquam et carbonibus pascunt. Ne res quidem ipsae adducere, aut invitare quemquam possunt ad epistolas meas cupide legendas. Homo enim

privatus, qui ita in libris ac literis consenuerim, nullam ut umquam attigerim reipublicae partem, nullam unquam epistolam scripsi, nisi quae ad mea non magni momenti negotia pertineret. Quis autem ego sum, ut, quod postremo loco posui, auctoritate quisquam adductus mea, res meas cognoscere cupiat? Mitto jam, quod quum in ceteris, tum in hoc praecipue genere ita negligens sum, ut epistolas, uno impetu fusas, raro admodum bis legere, certe quidem numquam bis scribere, sed ut primum fluxerunt, liturarum saepe ac macularum plenas, ad amicos mittere soleam. Itaque multum negotii habui in iis, quas ad te nunc mitto, colligendis. Nam praeter paucas, quas familiares quidam mei descripserant, ceterae ab iis ipsis, ad quos missae erant, aut ab iis, in quorum manus, mortuis ipsis, pervenerant, corrogandae, quasque ostiatim conquirendae fuerunt. Quas non ullo ordine aut personarum aut temporum (neque enim res tanti videbatur), sed ut quaeque adlata erat, et cum eis nonnullas ad me a viris doctrina et auctoritate praestantibus scriptas, in unum volumen congerendas curavi; ut tuae vel voluntati obsequerem, vel auctoritati obtemperarem. Tantum enim et amicitiae nostrae et prudentiae tuae in maximis muneribus publicis obeundis jam pridem spectatae tribuo, ut nulla in re tibi aut volenti negare, aut suadenti adversari fas putem. Quare quid a me postules, aut quid me facere jubeas, ipse videris: certe quidquid postulaveris, quod quidem in me situm sit, consequeris. Hoc autem aequiore animo passus sum exstare aliquas epistolas meas, quod quaedam multis jam abhinc annis editae sunt pro meis, de quibus scribendis ego ne per somnium quidem umquam cogitavi. Confinxerat eas is ipse, qui tamquam a me ad se missas divulgaret, homo eruditus ille quidem, sed improbus, et natura nocendi ac malefaciendi cupidus: quum plurima et maxima officia, quibus ad me adfectus erat, summis injuriis compensare vellet. Qua de re olim a me graviter objurgatus, multis cum lacrimis a me veniam petiit, laqueo digna commississe se fassus: quum ei sermone Hadrianus Turnebus et Joannes Auratus praesentes interessent. Sed mittamus haec. A te pro amicitia nostra peto, des operam, ne quid isthic excudatur pro meo, quod meum non sit. Quid enim futurum est, nisi coërceatur istorum audacia, qui

superioribus mensibus poëma quoddam de laudibus Joannis Austriaci, quod ego numquam legeram, pro meo ediderunt? in quo et mihi et ei, cujus illud poëma est, imposita insignis injuria est. Nunc tua potissimum fide, diligentia, auctoritate, voluntate erga me fretus, nihil tale posthac eventurum esse confido. Vale. Romae 9. Calend. Septemb. M. D. LXXIX.

Lib. I. 19.

Commendat Manutio adolescentes, qui excolendi ingenii causa peregrinationes suscipiunt; quos ut humanissime excipiat, rogat.

Muretus Paulo Manutio S.

Adolescentes, qui ad te has literas perferent, si genus requiris, nobilissimo ac splendissimo inter suos orti sunt loco; si bona animi et studia laudandarum artium spectas, conjecturam facere vel ex eo potes, quod quum ipsis domi in summis deliciis et in maxima rerum omnium affluentia vivere liceret, longinquas peregrinationes suscipere, seseque excolendi ingenii causa infinitis difficultatibus objicere maluerunt. Ii, quum judicarent idem, quod omnes, qui recte sentiunt, judicant; ingenii et eloquentiae gloria Italiam ceteris nationibus, in Italia autem longe unum ceteris omnibus Paullum Manutium antecellere, neque se studio suo satisfacere posse arbitrati sunt, nisi in Italiam venirent, neque quum in Italiam venissent, nisi Paulli Manutii adspectu et colloquutione fruerentur. Quod autem de scriptis utriusque nostrum intellexerant, quanta inter nos voluntatum ac studiorum conjunctio esset; statuerunt, se id, quod cuperent, nullo modo melius, quam per me, consequi posse, mecumque egerunt, ut se tibi quam diligentissime commendarem. Ita igitur facio, petoque a te, si ulla umquam apud te mea commendatio valuit, quod scio valuisse quam plurimas; huic plus etiam quam ceteristribuendum putes, adjiciasque ad illam humanitatem, qua omnes excipere solitus es, quidquid rogante atque obsecrante me adjici potest. Vale.

Lib.

Commendat Paulo Manutio Lazarum Mocenicum, summae spei adolescentem; mittitque scolia sua in Tibullum.

M. Antonius Muretus Paulo Manutio S.

Heri ad te scripsissem, sed volui gratificari Lazaro Mocenico, adolescenti optimo, ingeniosissimo, studiosissimo; quod et ipse incensus erat cupiditate cognoscendi tui, et eum ego cupiebam a te cognosci, de quo me tam saepe praedicantem audisses. Hic enim est unus propemodum, de quo ego mihi omnia summa polliceri audeo: neque metuo, ne me spes fallat. Quaeso te, complectere eum mea causa, quam poteris humanissime: dignus est enim omni benevolentia atque amore. Ingenium summum, industria mirifica, mores optimi atque incorruptissimi. Denique quidquid dici de illa aetate honorifice potest id me de eo dixisse, et meritissimo dixisse tibi persuadeto. Accipies ab eo, quod superest Tibulli, et scolia mea in primum librum, de quibus cupio audire iudicium tuum. Quid est, quod hodie ad me Molinius scripsit, mira quaedam esse, quae tu mihi, quum isthuc venissem, dicturus esses? Si me amas, quidquid est, scribe. Ego enim, nisi quid aliud acciderit, nondum me isthuc venturum puto. Vale.

Lib. I. 49.

Lipsium, redeuntem ad Cornelium Valerium, laudat; petitque, ut ejus similes sibi porro commendet.

Muretus S. D. Cornelio Valerio.

Redit ad te Lipsius tuus, et redit magno meo dolore. Ita enim me devinxit sibi praestantia ingenii et doctrinae, integritate, suavitate sermonis ac consuetudinis suae, ut, eo discedente, a memetipso mihi avelli viderer. Felicem te Corneli, cujus ex disciplina adolescens tam rari exempli prodiit. Equidem ante et magni faciebam te ex scriptis tuis, et amabam pro iudicio, quod amantissime de emendatis a me Terentii fabulis feceras: nunc vero, mihi crede, tanta accessio propter Lipsium facta est, et ad opinionem de te et

amorem erga te meum, nihil ut magis cupiam, quam occasionem mihi aliquam dari declarandi tibi re et factis, quanti apud me sis. Cujus rei si licebit periculum facere, quaeso te, si qui huc venient, quos tu ames, praecipueque, qui habeant aliquid simile Lipsii, ut eos mihi potissimum commendandos putes. Nam eadem opera, et ego mihi videbor abs te beneficium accipere, et conabor efficere, ut ipsi quoque eo nomine aliquid se tibi aliquando debere fateantur. Vale.

Lib. I. 62.

Hortatur Riparium, ut in eligendis amicis et sodalibus sit cautissimus.

Muretus Alexandro Ripario S.

Nemo est omnium, ad quem libentius, quam ad te scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te plane paterna. Sed vix credas, quam sim in hoc secessu occupatus: quem tamen plerique omnes esse plenum otii putant, et quotidie quinas aut senas ab amicis literas accipio, ad quas si respondere omnes velim, nihil aliud agendum sit. Gratum est mihi, quod adplicuisti te ad consuetudinem P. Aemilii, et Horatii Macarani. Eorum enim uterque et te doctrina et exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare: qui autem alio ingenio sunt, eorum consuetudinem, quasi pestem aliquam vita. Aetati tuae nihil diligentius providendum est, quam quibus sodalitatibus utare. Neque ego severum esse te ac tetricum, omnique genere voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quaerendas, quae dulcissimae videantur, sed inducendum animum, ut quae honestissimae sint, easdem etiam dulcissimas esse ac suavissimas putes. Mi Alexander etiam atque etiam vale. Tribure V. Id. August. MDLXX.

Lib.

Lib. I. 65.

Poëtarum scripta legenda sunt, non ut eos imitemur, sed ut iis nos oblectemus, simulque aliquid ex iis, quod nobis usui sit, colligamus.

Muretus Alexandro Ripario S.

Versiculi, quos ad me misisti, ostendunt illi quidem, te, si ad poëticam ingenium tuum contulisses, et bonos magistros nactus in eo studio perstitisses, ad aliquam praestantiam pervenire potuisse. Nam et numerosi sunt, et sententias habent, neque inconcinnas neque ineleganter collocatas, et ipsum dicendigenus non abhorret a recto; planeque sperare posses, te aliquando bonum poëtam fore, si hoc agere velles. Sed majora tibi proposita sunt, quae, quantum potes, urgeas, censeo: subsecivis horis veterum poëtarum scripta manibus teras: non tam ut imiteris, quam ut eis te oblectes; simulque aliquid ex eis adsidue, quod tibi usui sit, colligas. In scribendis versibus tempus a te collocari, verum ut fatear, nolim. Malos versus facere, turpe est; mediocres inglorium; bonos difficilium, quam ut praestari possit ab iis, quibus aliud agendum est. Quid in tuis lima egeat, praesens praesentem monere possem: per literas non aequè facile possum; recteque ac vere mihi videtur Ovidius dixisse, emendandi laborem majorem esse, quam scribendi. Mihi hoc credas velim: me hodie non multo difficilium ad saltandum, quam ad faciendos versus adduci posse. Si quid erit serium, in quo meam operam desideres, non deero; in his levioribus, si quando de me cogitabis, peto a te, illud quoque cogites, non multo juniorem esse me, quam erat Horatius, quum illa de se scriberet:

Nunc itaque et versus, et cetera ludicra pono. Vale.

4. Ex Pauli Manutii epistolis.

Lib. II. 2.

Conqueritur, se, a viris clarissimis cultum, ab ignoti nominis homine despici et expilari.

Manutius Hieronymo Faletto.

Quod heri iniecisti in sermone, haeret in animo, et quo diligentius rem perpendo, eo magis omnia mea consilia, omnes cogitationes ad novam societatem, quaecumque ea sit, converto. Vexor enim et deludor indigne ab homine teterrimo omniumque impurissimo, cui non satis est avertere communem rem, sed me prorsus ita despicit, ut nec dignum ducat, ad quem adeat accersitus. Equidem nihil mihi adscisco, nihil arrego insolenter; nihil enim habeo neque a fortuna neque a me ipso, quo nimium extollar, verum tamen limina meorum aedium teruntur quotidie pedibus virorum clarissimorum ad me confluentium. Tu ipse, tu, inquam, Falette, et maximi ducis orator, et maximus ipse vir, quem gravissima distinent negotia, qui scribis historiam, qui legum scientiam veterum et recentium scriptis luculentissimis explicas, venire tamen ad me. quae tua est humanitas, saepe solitus es, horasque multas suavissimo sermone consumere. *Malum est, inquires, ab homine nequissimo contemni.* Malum, sed pejus etiam expilari; quod nisi tua prudentia medicinam huic malo adfert, periit fructus omnis tuae liberalitatis. Clavam enim citius de manu Herculis possim extorquere, quam ab isto nummum. Aut igitur ea mihi conservetur utilitas, quam tuo beneficio speraveram, aut, qui nos vult perditos, perdatur ipse nobiscum, et societas communi pernicie dissolvatur. Verum quum in tuum ingenium, tuam auctoritatem et singularem in me benevolentiam, intueor, traducor facile ad optimam spem, tranquilla omnia, commoda, copiosa mihi ipse polliceor. Tu restitues unus adflictam rem, et istum postremi ordinis hominem, omnibus inquinatum vitiis, indignum prorsus non modo amicitia nostra, sed congressu etiam ac sermone extrudemus, et versetur posthac, et vivat cum sui similibus in sordida nequitie,

se-

sejunctus a nobis, qui humanitatem colimus, et virtutem omni lucro anteponimus. Interim lege, quam saepe jam efflagitasti, partem libri nostri de quatuor rebus publ., quam cupio a te probari. Otium si habueris, quale ut aliquando consequar, operam dabo. in Bellombra tuo si alibi non licebit, totum volumen absolvam. Vale. Ex aedibus nostris MDLVII.

Lib. II. 13.

A Fabio Stella ejusque patre se amari gaudet, promittitque, se, quum per valitudinem licuerit, ad eos aditurum.

Manutius Fabio Stellae S.

Quum tu ad me, Fabi, quem de facie nondum nosti, adductus humanitate, epistolam miseris tam elegantem, distinctam notis non amoris minus quam ingenii: ferreus sim, nisi te patremque tuum sic amem, ut amare solemus ea, quae nobis in vita prima sunt. Sed quid, si me ipsum etiam vestra causa plus amem? quid enim? quum ego me a parente tuo, magni nominis virò, summis virtutibus ornato, diligi videam; a te vero etiam laudari excellentis ingenii adolescente, optime ad virtutem animato: non ipse mihi pluris sim? non gaudeam haberi a vobis, qualis esse semper volui, et ut essem, laboravi: sed voluntati exitum respondisse numquam dixi. Equidem quum natura sum, tum valitudine modo subtristis, nec ad hilaritatem facile traducor; tuae tamen literae patrisque tui, vix credes, quid animo meo jucunditatis instillarint, qua voluptate, qua laetitia perfuderint. Itaque officii vestri memoria sustentor, eaque sic fruor, ut beneficiis omnibus anteponam. Quod utinam adire ad vos, ac studio vestro satis facere liceret! nihil esset optatius, et esset iter Pastorio comite jucundius. Verum nescio, quo fato contigit, ut, quo primum huc die perveni, cum tota pene familia coeperim aegrotare, uxor quidem gravissime, necdum valet, ego satis leviter. sic tamen, ut jaceam: corpori enim imbecillo quaevis incommoditas vix ferenda. Quamobrem adfectus morbo ac viribus infirmus, equo me non auderem committere, vel placidissime incedenti. *Lecticum*, inquis, *mitemus*. Hac equidem verherer commodius: sed, mi Fabi, hoc genere deliciarum
mei

mei ordinis homines uti non solent; ad fortunatos pertinet. Itaque differam per aliquot dies, quoad vires colligam, id est, quoad equo aut etiam rheda liceat uti. Equos quidem hic, quales infirmitas corporis nostri requirit, id est, qui alterno gressu crura molliter explicent, quos gradarios antiquitas adpellabat, facile possum invenire: sed insolentiam hujus caeli non nihil metuo; rheda autem vereor, ne succussu laedat; omnia tamen, ut video, moderabitur humanitas vestra. Vale, et patri tuo, praestanti viro, multam salutem meis verbis.

b. E p i s t o l a e e l a b o r a t a e.

Ad Div. Lib. IV. 5.

Ser. Athenis mense Aprili A. U. C. 708.

Sulpicius Ciceronem filiae morte adflictum consolatur.

Ser. Sulpicius M. T. Ciceroni S. D.

P osteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae filiae tuae, sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimavi: qui, si isthic adfuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est; propterea quia per quos id fieri decet, propinqui ac familiares, ipsi pari molestia adficiuntur, neque sine lacrimis multis id conari queunt; ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium praestare: tamen, quae in praesentia mihi in mentem venerunt, decrevi brevi ad te perscribere; non quod ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias.

Quid est quod tantopere te commoveat tuus dolor intestinus. Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno
in-

incommodo addito quid ad dolorem adjungi potuit? aut qui non, in illis rebus exercitatus, animus callere jam debet, atque omnia minoris aestimare? An illius vicem (credo) doles? Quoties in eam cogitationem necesse est et tu veneris, (et nos saepe incidimus); hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magno opere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario conjuncta aetatem ageret? Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex se pareret, quos quum florentes videret, laetaretur, qui rem a parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim petiturae essent in republica, in amicorum negotiis liberalitate sua uterentur? Quid horum fuit, quod non prius, quam datum, ademptum sit? *At vero malum est liberos amittere.* Malum, nisi hoc pejus sit, haec sufferre et perpeti.

Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, quum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet; quum uno loco, tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt; de imperio praeterea tanta diminutio facta est, omnes provinciae conquassatae sunt; in unius mulierculae animula si jactura facta sit, tantopere commoveris? quae si hoc tempore non suum diem obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.

Et jam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu opus fuerat, vixisse; una cum republica fuisse; te patrem suum praetorem, consulem, augurem vidisse; adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis prope perfunctam esse; quum respublica occideret, vita excessisse. Quid est, quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueveris praecipere et dare consilium; neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt; sed potius quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subijce atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. Hoc te exspectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si quis etiam inferis sensus est, qui illius amor in te fuit pietasque in omnes suos: hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae, da ceteris amicis et familiaribus, qui tuo dolore moerent, da patriae, ut, si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit. Denique quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quispiam te putet non tam filiam, quam reipublicae tempora et aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci; fac aliquando intelligamus, adversam quoque te aequae ferre posse, neque id majus, quam debeat, tibi onus videri; ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse.

Quod ad me attinet, quum te tranquilliore esse animo cognovero, de his rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiore faciam. Vale.

Ad Div. L. VI. 6.

Scr. Asturae mense Majo. A. U. C. 708.

Respondet consolanti Sulpicio, gratum sibi ejus officium fuisse, nec id exiguo doloris levamento: nemini vero, quam sibi justiores dolendi causas fuisse; maximam tamen sibi levationem ex redivo et consuetudine Sulpicii fore.

M. T. Cicero Servio Sulpicio S. D.

Ego vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu adfuisses. Quantum enim praesens adjuvare potueris et consolando et prope aequè dolendo, facile ex eo intelligo, quod literis tuis lectis aliquantum adquevi. Nam et ea scripsisti, quae levare luctum possent, et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declaravit, et quanti ipse me faceret, et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore; cujus officia jucundiora scilicet saepe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum, et vix resisto dolori; quod ea me solatia deficiunt, quae ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum et magnis rebus gestis, amisit; et L. Paullus, qui duo septem diebus; et vester Gallus, et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequerentur. Mihi autem amissis ornamentis iis, quae ipse commemoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicae procuratione impediabantur cogitationes meae; nihil in foro agere libebat; adspicere curiam non poteram; existimabam, id quod erat, omnes me et industriae meae fructus et fortunae perdidisse. Sed quum cogitarem, haec mihi tecum et cum quibusdam esse communia, et quum frangerem jam ipse me, co-

geremque illa ferre toleranter: habebam, quo confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me a republica moestum domus excipiebat, quae levaret: sic nunc domo moerens ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis adquiescam. Itaque et domo absum et foro, quod nec eum dolorem, quem a republica capio, domus jam consolari potest, nec domesticum respublica. Quo magis te exspecto, teque videre quam primum cupio. Major mihi levatio adferri nulla potest, quam conjunctio consuetudinis sermonumque nostrorum, quamquam sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) adpropinquare. Ego autem quum multis de causis te exopto quamprimum videre, tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem adcommodandum, et prudentis et liberalis et (ut perspexisse videor) nec a me alieni et tibi amicissimi. Quod quum ita sit, magnae est tamen deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius consensu et beneficio quiescendi. Vale.

Ex L. Annaei Senecae Philosophi Epistolis.

Epistola 63.

Consolatoria super morte amici, sapiens et perpulchra.

Graviter fers decessisse Flaccum, amicum tuum: plus tamen aequo dolere te nolo. Illud, ut non doleas, vix audebo exigere, et esse melius scio. Sed cui ista firmitas animi continget, nisi jam multum supra fortunam elato? Illum quoque ista res vellicabit, sed tantum vellicabit. Nobis autem ignosci potest, prolapsis ad lacrimas: si non nimiae decurrerent, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant; lacrimandum est, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere? quum poëtarum graecorum maximus jus flendi dederit in unum *a)* dumtaxat diem: quum dixerit, etiam Nioben *b)* de cibo cogitasse. Quae-
ris,

ris, unde sint lamentationes, unde immodici fletus? Per lacrimas argumenta desiderii quaerimus; et dolorem non sequimur, sed ostendimus. Nemo tristis c) sibi est. O infelicem stultitiam: est aliqua et doloris ambitio. *Quid ergo?* inquires, *obliviscar amici?* Brevem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mansura est. Jam istam frontem ad risum quaelibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus, quo desiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus residunt: quum primum te observare desieris, imago ista tristitiae discedet. Nunc ipse custodis dolorem tuum, sed custodienti quoque elabitur: eoque citius, quo est acrior, desinit. Id agamus, ut jucunda fiat nobis amissorum recordatio. Nemo ad id libenter redit, quod non sine tormento cogitaturus est. Si tamen istud fieri necesse est, ut cum aliquo nobis morsu amissorum, quos amavimus, nomen occurrat: hic quoque morsus habet suam voluptatem. Nam ut dicere solebat Attalus noster: sic amicorum defunctorum memoria jucunda est, quomodo poma quaedam sunt suaviter aspera, quomodo in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat: quum vero intervenit spatium, omne quod angebat, exstinguitur, et pura ad nos voluptas venit. Si illi credimus, amicos incolumes cogitare, melle ac placenta frui est: eorum, qui fuerunt, retractatio, non sine acerbitate quadam juvat. Quis autem negaverit, haec acria quoque, et habentia austeritatis aliquid, stomachum excitare? Ego non idem sentio, mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est: habui enim illos, tamquam amissurus; amisi, tamquam habeam. Tac ergo, mi Lucili, quod tuam aequitatem decet. Desine beneficium fortunae male interpretari; abstulit, sed dedit. Ideo amicis avide fruamur; quia quamdiu contingere hoc possit, incertum est. Cogitemus, quam saepe illos reliquerimus, in aliquam peregrinationem longinquam exituri: quam saepe eodem morantes loco non viderimus: intelligemus, plus nos temporis perdidisse in vivis. Feras autem hos, qui quum negligentissime amicos habeant, misserrime lugent; nec amant quemquam, nisi quum perdidierunt? Ideo tunc effusius moerent, quia verentur, ne dubium sit, an amaverint: sera indicia adfectus sui quaerunt. Si alios habemus amicos, male de his et meremur, et existimamus; quia parum valent in unius elati solati-
um:

um: si non habemus, majorem ipsi nobis injuriam fecimus, quam a fortuna accepimus. Illa unum abstulit, nos quemcumque non fecimus. Deinde ne unum quidem amavit, qui plus quam unum amare non potuit. Si quis despoliatus, amissa unica tunica, complorare se malit, quam circumspicere, quomodo frigus effugiat, et aliquid inveniat, quo tegat scapulas, nonne tibi videatur stultissimus? Quem amabas, extulisti: quaere, quem ames. Satius est amicum reparare, quam flere. Scio quidem peritum jam hoc esse, quod adjecturus sum: non tamen ideo praetermittam, quia ab omnibus dictum est. Finem dolendi etiam, qui consilio non fecerat, tempore invenit; turpissimum autem est in homine prudente remedium moeroris, lassitudo moerendi. Malo relinquo dolorem, quam ab illo relinqueris. Quamprimum id facere desiste, quod etiam si voles, diu facere non poteris. Annum feminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis a rogo, vix a cadavere revulsis, cui lacrimae in totum mensem duraverint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens consolatorem invenit, et aliquos ad se adducit: inveteratus vero deridetur, nec immerito: aut enim simulatus aut stultus est. Haec tibi scribo, is, qui Annaeum Serenum, carissimum mihi, tam immodice flevi, (quod minime velim) inter exempla sim eorum, quos dolor vicit. Hodie tamen factum meum damno, et intelligo, maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quod nunquam cogitaveram, mori eum ante me posse. Hoc unum mihi occurrebat, minorem esse, et multo minorem, tamquam ordinem fata servarent. Itaque adsidue cogitemus tam de nostra quam omnium, quos diligimus, mortalitate. Tunc ego dicere debui: *Minor est Serenus meus: quid ad rem pertinet? post me mori debet. sed ante me potest*; quia non feci, imparatum subito fortuna percussit. Nunc cogito, omnia et mortalia esse et incerta lege mortalia. Hodie fieri potest, quidquid umquam potest. Cogitemus ergo Lucili carissime, cito nos eo perventuros, quo illum pervenisse moeremus. Et fortasse, (si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus perisse, praemissus est.

a) *In unum dumtaxat diem.* Habes apud Homerum Iliados XIX. v. 203. ubi ad Achillem lacrimis diffluentem dicit Ulysses :

Αλλα Χρη τον μεν καταδαπτειν. ος κε θανασι.

Νηλεα θυμον εχοντες επ ηματι δακρυσαντας.

Billich demnach jedweden beerdiget, wie er gestorben.

Mit verbärterter Seel und einen Tag ihn beweinend.

b) *Etiā Nioben de cibo cogitasse.* Hom. Iliad. XXIV. 602.

και γαρ τ ηυκομος Νιοβη εμνησατο σιτου.

τηπερ δωδεκα παιδες ενι μεγαροισεν ολοντο.

εξ μεν θυγατρος εξ δ υες ηβωνοντες.

Denn auch Niobe selbst, die lockigte, dachte der Speise,

Welche zugleich zwölf Kinder in ihrem Hause verloren,

Sechs der liebevollen Töchter, und sechs aufblühende Söhne.

c) *Nemo tristis sibi est, sed aliis, quibus ostendere tristitiam cupit.*

Epistola 84.

Stylum lectionemque alternanda esse; lecta autem in succum vertenda et nostra facienda. Denique adhortatio ad sapientiam. Bona et utilia monita.

Itinera ista, quae segnitiam mihi excutiunt, et valitudini meae prodesse judico et studiis. Quare valitudinem adjuvent, vides: quum pigrum me et negligentem corporis, literarum amor faciat, aliena opera a) exerceor. Studiis quare prosint, indicabo. A lectionibus non recessi. Sunt autem, ut existimo, necessariae; primum, ne sim me uno contentus, deinde ut, quum ab aliis quaesita cognovero, tum ut de inventis judicem et cogitem de inveniendis. Alit lectio ingenium, et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantum, nec tantum legere debemus: altera res contra stabit, et vires exhauriet; de stylo dico: altera solvet et diluet. Invicem hoc illo commutandum est, et alterum altero temperandum, ut quidquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. Apes (ut ajunt) debemus imitari, quae vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid atulere, disponunt; ac per favos digerunt, et ut Virgilius noster ait:

— — — liquentia mella

Stipant, et dulci distendunt nectare cellas,

De illis non satis constat, utrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel fit: an quae collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutant. Quibusdam enim placet, non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius caeli, aut ipsius arundinis humor dulcis et pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim eandem, sed minus manifestam et notabilem poni, quam persequatur et contrahat animal huic rei genitum. Quidam existimant, conditura et dispositione in hanc qualitatem verti, quae ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sine quodam, ut ita dicam, fermento, quo in unum diversa coalescunt. Sed ne ad aliud, quam de quo agitur, abducar, nos quoque has apes debemus imitari, et quaecunque ex diversa lectione conguessimus, separare; melius enim distincta servantur. Deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate, in unum saporem varia illa libamenta confundere; ut etiam si adpareat, unde suntum sit, aliud tamen esse, quam unde suntum est, adpareat: quod in corpore nostro videmus, sine ulla opera nostra facere naturam. Alimenta, quae accepimus, quamdiu in qualitate sua perdurant, et solida innatant stomacho, onera sunt; et quum ex eo, quod erant, mutata sunt, tum demum in vires et in sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus; ut, quaecunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Adsentiamur illis fideliter, et nostra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis: sicut unus numerus fit ex singulis, quum minores summas et dissidentes computatio una comprehendit. Hoc faciat animus noster, omnia, quibus est adjutus, abscondat, ipsum tantum ostendat, quod effecit. Etiam si alicujus in te comparebit similitudo, quam admiratio tibi altius fixerit: similem esse te volo, quomodo filium, non quomodo imaginem. Imago res mortua est. Quid ergo? non intelligitur, cujus imiteris orationem? cujus argumentationem? cujus sententias? Puto, aliquando *b)* ne intelligi quidem posse, si magni viri; nec enim omnibus, quae ex quoque velut exemplaria traxit, formam suam impressit, ut in unitatem illam competant. Non vides, quam multorum vocibus cohors constet? unus tamen ex omnibus sonus

redditur; aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media, accedunt viris feminae, interponuntur tibiae: singulorum illic latent voces, omnium adparent. De choro dico, quem veteres philosophi noverant. In commissionibus c) nostris plus cantorum est, quam in theatris olim spectatorum fuit; quum omnes vias d) ordo canentium implevit, et cavea aeneatoribus e) cincta est, et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. Talem animum esse nostrum volo, ut multae in illo artes, multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata. *Quomodo, inquit, hoc effici poterit?* adsidua intentione: si nihil egerimus, nisi ratione suadente. Hanc si audire volueris, dicet tibi: Relinque ista jamdudum, ad quae discurretur, relinque divitias, aut periculum possidentium, aut onus; relinque corporis atque animi voluptates; molliunt et enervant; relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa; nullum habet terminum; tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam, ne post se alium, laborat invidia et quidem duplici. Vides autem quam miser sit is, cui invidetur, si et invides? Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa, rixa salutantum limina? multum habent contumeliarum, ut intres: plus, quum intraveris. Praeteri istos gradus divitum, et magno adgestu suspensa vestibula, non in praerupto tantum isthic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad sapientiam dirige, tranquillissimasque res et simul amplissimas pete. Quaecumque videntur eminere in rebus humanis, quamvis pusilla sint, et comparatione humillimorum exstant, per difficiles tamen et arduos tramites aduntur. Confragosa in fastigium dignitatis via est. At si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna submitit: omnia quidem sub te, quae pro excelsissimis habentur, adspicies, sed tamen venies ad summa per planum.

a) *Aliena opera*, equorum, qui in essedo vehunt, aut servorum in sella.

b) *Puto aliquanto*, totum locum ita restituit Gronovius: Puto aliquando ne intelligi quidem posse, imaginem viri; nec enim omnibus, quae ex suo velut exemplaria struxit, formam sui impressit, ut in veritatem illam competant. Respondet ad propositam quaestionem, repetendo similitudinem, qua fuerat usus: imitatore auctori esse debere si-

milem, ut patri filium, non ut faciei imaginem. Miraris velle me, ne nimis adpareat, cujus orationem exprimas, quum ne imagines quidem omnes expriment tam perfecte, ut statim, cujus sint, cognoscatur: et tamen nondum eo usque progredi te velim, ut velut imago exprimas. *Struxisse ex suo exemplaria* dicit eum, qui se pluribus imaginibus exprimendum praebuit. Veritas autem imagini solet opponi.

- c) *Commissionibus*, commissiones ludorum dici satis notum: nos diceremus Concert: nam de musicis hic sermo; alii tamen habent commessionibus.
- d) *Vias*, sc. Theatrorum; nam viae inter cuneos et praecinctiones.
- e) *Aeneatores* sunt, qui tuba signum commissionis in omnibus ludis dabant.

Epistola 88.

Liberalia studia non esse in bonis, nec ad virtutem per se ducere. Singillatim hoc docet, in grammatica, musica, geometria, astronomia. Et si tamen non ducunt, conducunt: id est, juvant et praeparant. Tum divisio alia artium, in vulgares, ludicras, pueriles, liberales: et in istis solam philosophiam esse, quae vere liberum facit. Sola etiam de bonis malisque indagat, sola noscit. Sola igitur colenda, aut praecipue: et ostendit, quam inutilia aut superflua philologi sectentur, quidam etiam philosophi. — O bona hic, o aurea! Legite juvenes senesque.

De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras. Nullum suspicio, nullum in bonis numero, quod ad aes exit a). Meritoria artificia sunt, hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim istis immorandum est, quamdiu nihil animus agere majus potest. Rudimenta sunt nostra, non opera. Quare liberalia studia dicta sint, vides, quia homine libero digna sunt. Ceterum unum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc sapientiae, sublime, forte, magnanimum: cetera pusilla et puerilia sunt. An tu quid-

quidquam in istis esse credis boni, quorum professores turpissimos omnium ac flagitiosissimos cernis? Non discere debemus ista, sed didicisse *b*). Quidam illud de liberalibus studiis quaerendum judicaverunt, an virum bonum facerent. Nec promittunt quidem, nec hujus rei scientiam adfectant. Grammaticus circa curam sermonis versatur, et si latius evagari vult, circa historias; jam ut longissime fines suos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam sternit? syllabarum enarratio, et verborum diligentia, et fabularum memoria, et versuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat? Ad geometriam transeamus, et ad musicam: nihil apud illas invenies, quod vetet timere, vetet cupere: quae quisquis ignorat, alia frustra scit. Videndum, utrum doceant isti virtutem: an non: si non docent, nec tradunt quidem: si docent, philosophi sunt. Vis scire, quam non ad docendam virtutem consederint? adspice quam dissimilia inter se omnium studia sint; atqui similitudo esset idem docentium. Nisi forte tibi Homerum philosophum fuisse persuadent, quum his ipsis, quibus colligunt, negent *c*). Nam modo Stoicum illum faciunt, virtutem solam probantem, et voluptates refugientem, et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modo Epicureum, laudantem statum quietae civitatis, et inter convivia cantusque vitam exigentis: modo Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modo Academicum, incerta omnia dicentem. Adparet, nihil horum esse in illo, cui omnia insunt; ita enim inter se dissident. Demus illis, Homerum philosophum fuisse, nempe sapiens factus est, antequam carmina ulla cognosceret: ergo illa discamus, quae Homerum fecere sapientem. Hoc quidem me quaerere, utrum major aetate fuerit Homerus an Hesiodus, non magis ad rem pertinet, quam scire, an minor Hecuba fuerit quam Helena, et quare tam male tulerit aetatem. Quid, inquam, annos Patrocli et Achillis inquirere ad rem existimas pertinere? Quaeris, Ulysses ubi erraverit, potius, quam efficias; ne nos semper erremus? Non vacat audire, utrum in Italiam et Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus. Tempestates animi nos quotidie jactant, et nequitia in omnia Ulyssis mala impellit; non deest forma, quae sollicitet oculos, non hostis;

stis: hinc monstra effera et humano cruore gaudentia: hinc insidiosa blandimenta aurium: hinc naufragia et tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo uxorem, quomodo patrem, quomodo ad haec tam honesta vel naufragus navigem. Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit, an verba seculo suo dederit, an Ulyssem illum esse, quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me, quid sit pudicitia, et, quantum in ea bonum; in corpore, an in anima posita sit. Ad musicam transeo. Doces me, quomodo inter se acutae ac graves voces consonent; quomodo nervorum disparem redditum sonum fiat concordia. Fac potius, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint modi flebiles: monstra potius, quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem. Metiri me geometres docet latifundia: potius doceat, quomodo metiar, quantum homini sit satis. Numerare me docet arithmetica, et avaritiae commodare digitos *d*): potius doceat, nihil ad rem pertinere istas computationes: non esse feliciorum, cuius patrimonium tabularios *e*) lassat: imo quam supervacua possideat; qui infelicissimus futurus est, si quantum habeat, per se computare, cogatur. Quid mihi prodest, scire agellum in partes dividere, si nescio, cum fratre dividere? Quid prodest colligere subtiliter pedes jugeri *f*), et comprehendere etiam, si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens et aliquid ex meo abradens? Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis? at ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam. Paterno agro, inquit, et avito expellor. Quid? ante avum tuum quis istum agrum tenuit? Cujus, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? Non dominus isto, sed colonus intrasti. Cujus colonus es? Si bene tecum agitur, heredis *g*). Negant juris consulti quidquam usucapi, quod publicum est: publicum est hoc, quod tenes, quod tuum dicis: publicum est, et quidem generis humani. O egregiam artem! scis rotunda metiri: in quadratum redigit quamcumque acceperis formam; intervalla siderum dicis: nihil est, quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum; dic quam magnus sit, dic quam pusillus sit. Scis, quae recta sit linea: quid tibi prodest, si quid

in vita rectum sit, ignoras? Venio nunc ad illum, qui caelestium notitia gloriatur.

Frigida Saturni quo sese stella receperet:

Quos ignis coeli Cyllenius erret in orbes.

Hoc scire quid proderit? ut sollicitus sim, quum Saturnus et Mars ex contrario stabunt, aut Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno? Potius hoc discam, ubicumque sunt ista, propitia esse, non posse mutari. Agit illa continuus ordo fatorum et inevitabilis cursus: per stas vices remeant. Effectus rerum omnium aut movent aut notant. Sed sive quidquid evenit, faciunt, quid immutabilis rei cognitio proficiet? sive significant, quid refert providere, quod effugere non possit? Scias ista, nescias: fient.

Si vero solem ad rapidum stellasque sequentes

Ordine respicias, numquam te crastina fallat

Hora, nec insidiis noctis capiere serenae.

Satis abundeque provisum est, ut ab insidiis tutus essem. Numquid me crastina non fallit hora? fallit enim, quod nescienti evenit. Ego, quid futurum sit, nescio: quid fieri possit, scio. Ex hoc nihil desperabo: totum exspecto. Si quid remittitur, boni consulo. Fallit me hora, si parcit: sed ne sic quidem fallit. Nam quemadmodum scio omnia accidere posse, sic scio et non utique casura. Utique secunda exspecto: malis paratus sum. In illo feras me necesse est non per praescriptum euntem *h*). Non enim adducor, ut in numerum liberalium artium pictores accipiam, non magis, quam statuarios aut marmorareos aut ceteros luxuriae ministros. Aequae luctatores, et totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus: aut et unguentarios recipiam et cocos et ceteros voluptatibus nostris ingenia adcommodantes sua. Quid enim, oro te, liberale habent isti jejuni vomitores *i*), quorum corpora in sagina, animi in macie et veterno sunt? An liberale studium illud esse juventuti nostrae credimus, quam majores nostri rectam *k*) exercuerunt, hastilia jacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare? Nihil liberos suos docebant, quod discendum esset jacentibus. Sed nec haec nec illae docent aluntve virtutem. Quid enim prodest equum regere, et cursum ejus freno temperare, adfectibus effrenatissimis abstrahi? Quid prodest multos vincere luctatione vel cestu,

ab iracundia vinci? Quid ergo, nihil liberalia nobis conferunt studia? Ad alia multum, ad virtutem nihil. Nam et hae viles ex professo artes, quae manu constant, ad instrumenta vitae plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinet. Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant. Quemadmodum prima illa, ut antiqui vocabant, literatura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox praeciipiendis locum parat: sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt. Quatuor ait esse Posidonius artium genera. Sunt vulgares et sordidae: sunt ludicrae, sunt pueriles, sunt liberales. Vulgares opificum, quae manu constant, et ad instruendam vitam occupatae sunt, in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est. Ludicrae sunt, quae ad voluptatem oculorum et aurium tendunt. His adnumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia *b*) excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia, et alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus, quae cohaerebant, aut his, quae distabant, sua sponte coeuntibus, aut his, quae eminebant, paullatim in se residentibus. His imperitorum feriuntur oculi, omnia subita (quia causas non novere) mirantium. Pueriles sunt, et aliquid habentes liberalibus simile, hae artes, quas *ἐγκυκλιος* Graeci, nostri liberales vocant. Solae autem liberales sunt, imo (ut dicam verius) liberae, quibus curae virtus est. Quemadmodum, inquit, est animi aliqua pars philosophiae naturalis, est aliqua moralis, est aliqua rationalis, sic et haec quoque liberalium artium turba locum sibi in philosophia vindicat. Quum ventum est ad naturales quaestiones, geometriae testimonio statur. Ergo ejus, quam adjuvat, pars est? multa adjuvant nos, nec ideo partes nostrae sunt: imo si partes essent, non adjuverent. Cibus adiutorium corporis, nec tamen pars est. Aliquid nobis praestat geometriae ministerium. Sic philosophiae necessaria est, quomodo ipsi faber, sed nec hic geometriae pars est, nec illa philosophiae. Praeterea, utraque fines suos habet. Sapiens enim causas naturalium et quaerit et novit, quorum numeros mensurasque geometres persequitur et supputat. Qua ratione constant caelestia, quae illis sit vis, quaeve natura, sapiens scit: cursus et recursus et observatio-

nes,

nes, per quas descendunt et allevantur, ac speciem intermedium stantium praebent, quum caelestibus stare non liceat, colligit mathematicus. Quae causa in speculo imagines exprimat, scit sapiens, illud tibi geometer potest dicere, quantum abesse debeat corpus ab imagine, et qualis forma speculi, quales imagines reddat. Magnum esse solem philosophus probabit: quantus sit, mathematicus, qui usu quodam et exercitatione procedit: sed ut procedat, impetranda illi quaedam principia sunt. Non est autem ars sui juris, cui precarium fundamentum est. Philosophia nil ab alio petit, totum opus a solo *m*) excitat. Mathematica (ut ita dicam) superficialia est, in alieno aedificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad ulteriora perveniat: si per se iret ad verum, si totius mundi naturam posset comprehendere, dicerem multum collaturam mentibus nostris, quae tractatu coelestium crescunt, trahuntque aliquid ex illo. Una re consummatur animus, scientia bonorum ac malorum immutabili, quae soli philosophiae competit. Nulla autem ars alia de bonis ac malis quaerit. Singulas habet circumire virtutes. Fortitudo contemtrix timendorum est: terribilia et sub jugum libertatem nostram mittentia despicit, provocat, frangit: numquid ergo hanc liberalia studia corroborant? Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur praemio. Ure, inquit, caede, occide, non prodam: sed quo magis secreta quaeret dolor *n*), hoc illa altius condam. Numquid liberalia studia hos animos facere possunt? Temperantia voluptatibus imperat: alias odit atque abigit, alias dispensat et ad sanum modum redigit, nec umquam ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas, sumere. Humanitas vetat superbum esse adversus socios, vetat avarum: verbis, rebus, adfectibus comem se, facilemque omnibus praestat: nullum alienum malum putat, bonum autem suum id maxime, quod alicui bono futurum est, amat. Numquid liberalia studia hos mores praecipunt? non magis quam simplicitatem, quam modestiam ac moderationem; non magis quam frugalitatem, ac parsimoniam; non magis quam clementiam; quae alieno sanguini tamquam suo parcat, et scit, homini non esse homine prodigo utendum. Quum di-

ca-

catis, inquit, sine liberalibus studiis ad virtutem non perveniri, quemadmodum negatis, illa nil conferre virtuti? Quia nec sine cibo ad virtutem pervenitur, cibus tamen ad virtutem non pertinet. Ligna nihil navi conferunt, quamvis non fiat navis sine lignis. Non est, inquam, cur aliquid putes ejus adjutorio fieri, sine quo non potest fieri. Potest quidem etiam illud dici, sine liberalibus studiis veniri ad sapientiam posse: quamvis enim virtus discenda sit, tamen non per haec discitur. Quid est autem, quare existimem, non futurum sapientem eum, qui literas nescit: quum sapientia non sit in literis? Res tradit, non verba: et nescio, an certior memoria *o*) sit, quae nullum extra se subsidium habet. Magna et spatiosa res est sapientia: vacuo illi loco opus est: de divinis humanisque discendum est: de praeteritis, de futuris, de caducis, de aeternis, de tempore, de quo uno vide quam multa quaerantur. Primum, an per se sit aliquid: deinde, an aliquid ante tempus sit: si tempus cum mundo coepit, an et ante mundum, quia fuerit aliquid, fuerit et tempus. Innumerabiles quaestiones sunt de animo tantum: unde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit: an aliunde alio transeat, et domicilium mutet, ad alias animalium formas aliasque conjectus: an non amplius quam semel serviat, et emissus vagetur in toto: utrum corpus sit, an non sit: quid sit facturus, quum per nos aliquid facere desierit, quomodo libertate sua usus, quum ex hac effugerit cavea: an obliviscatur priorum, et illic nosse se incipiat, postquam de corpore abductus in sublime secessit. Quamcumque partem rerum humanarum divinarumque comprehenderit, ingenti copia quaerendorum ac discendorum fatigaberis. Haec tam multa, tam magna, ut habere possint liberum hospitium, supervacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus, laxum spatium res magna desiderat; expellantur omnia: totum pectus illi vacet. At enim delectat artium notitia multarum. Tantum itaque ex illis retineamus, quantum est necessarium. An tu existimas reprehendendum, qui supervacua usu sibi comparat, et pretiosarum rerum pompam in domo explicat? non putas eum, qui occupatus est in supervacua literarum suppellectile? Plus scire velle, quam sit satis, intemperantiae genus est. Quid, quod ista liberalium arti-

um consecratio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, et ideo non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt? Quatuor millia librorum Didymus grammaticus scripsit: miser, si tam multa supervacua legisset. In his libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera: in his libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his an, Sappho publica fuerit: et alia, quae erant dediscenda, si scires. I nunc, et longam esse vitam nega. Sed ad nostros quoque cum perveneris, ostendam, multa securibus recidenda. Magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestia, laudatio haec constat: *O hominem literatum!* Simus hoc titulo rusticiore contenti: *O virum bonum!* Itane est? annales evolvam omnium gentium, et quis primus carmina scripserit, quaeram: quantum temporis inter Orphea intersit et Homerum, quum fastos non habeam, computabo: et Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam; et aetatem in syllabis conteram. Itane in geometriae pulvere haerebo? Adeo mihi praeceptum illud salutare excidit: *Tempori parce?* Haec sciam, ut quid ignorem *p)*? Appion grammaticus, qui sub C Caesare tota circumlatus est Graecia, et in nomen Homeri *q)* ab omnibus civitatibus adoptatus, aiebat: Homerum utraque materia consummata, et Odyssea et Iliade, principium adjecisse operi suo, quo bellum Trojanum complexus est. Hujus *r)* argumentum adferebat, quod duas literas *r)* in primo versu posuisset ex industria librorum suorum numerum continentes. Talia sciat oportet, qui multa vult scire. Non vis cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valitudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio privata, quantum occupatio quotidiana, quantum somnus. Metire aetatem tuam; tam multa non capit. De liberalibus studiis loquor: philosophi quantum habent supervacui? quantum ab usu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones et conjunctionum ac praepositionum proprietates descenderunt, et invidere grammaticis, invidere geometris. Quidquid in illorum artibus supervacuum erat, transtulere in suam. Sic effectum est, ut diligentius scirent loqui, quam vivere. Audi, quantum mali faciat nimia subtilitas, et quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex aequo; et de hac ipsa, an om-

nis res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his, quae videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, ex his, quae videntur, nihil esse nisi universum *s*). Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit, ait nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, et Megarici, et Eretrici, et Academici, qui novam induxerant scientiam, nihil scire. Haec omnia in illum supervacuum studiorum liberalium gregem conjice. Illi mihi non profuturam scientiam tradent, hi spem omnis scientiae eripiunt: satius est supervacua scire, quam nihil. Illi non praeferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum; hi oculos mihi effodiunt. Si Protagorae credo: nihil in rerum natura est, nisi dubium: Si Nausiphani: hoc unum certum est, nihil esse certi: si Parmenidi, nihil est praeter unum: si Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos sumus? Quid ista, quae nos circumstant, alunt, sustinent? tota rerum natura umbra est, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire.

- a) *ad aes exit*, mercenarium est, pecuniam quaerit.
 b) *Non discere debemus ista, sed didicisse*, non semper in illis discendis versari, sed discendi finem aliquando facere.
 c) *quum his ipsis, quibus colligunt, negent*, his ipsis argumentis, ex quibus concludunt Philosophum fuisse, evincunt, non fuisse.
 d) *digitos*: nam digitis numerabant, et numeros ipsos exprimebant.
 e) *tabularios*: tabulae erant accepti et expensi vectigalium et opum, qui praeerant his, tabularii dicti.
 f) *pedes jugeri*, regionum in partes divisionem decempedis et perticis pedibusque jugeri collectis conficiebant.
 g) *heredis*, si bene res succedat, prolis tuae vel alterius scripti heredis: at et tyranni potes esse colonus, vel hostis, qui, tibi erepto agro, in ejus possessionem veniat.
 h) *non per praescriptum euntem*, non numerantem artes liberales, ut vulgus.
 i) *jejuni vomitores*, qui mane cibos, praecedente die ingestos, egerunt.
 k) *rectam* i. e. stantem, non jacentem vel victam: nullas enim artes, quibus jacentes uterentur, edocere, utpote, qui jacere suos nollent.

- l) *pegmata per se turgentia*, machinae in theatris, nemine, quod adpareat, manum admovente, subito prodeunt.
- m) *a solo*, ab ipsis fundamentis.
- n) *quo magis secreta quaerit dolor*, quo magis dolor et cruciatus ad extorquenda secreta intenduntur.
- o) *certior memoria*, nam qui discunt, literis confisi minus memoriae student. Unde Platonem quoque in Cratylo literarum inventio perstringitur.
- p) *Haec sciam, ut quid ignorem?* Sensus est: an haec scire teneor? quid itaque est, quod ignorare salvis et officio et fama possim.
- q) *in nomen Homeri adoptatus*, alter Homerus cognominatus.
- r) *duas literas μ* scilicet et *η*, quae conjunctae notant 48, qui est numerus liberorum Homeri.
- s) *nihil esse nisi universum*: Sensus est: τὰ πάντα ἐν, una omnium rerum substantia: ut adeo praeter universum nihil sit. Qui aliorum quoque veterum, et ex recentioribus Spinozae error fuit.

Epistola 103.

Malitia et insidiae inter se hominum. Tu tamen non eadem facito aut repones: sed mitis in omnes et volens esto.

Quid ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse evenire, sed possunt et non evenire? incendium dico, ruina, aliaque, quae nobis incidunt, non insidiantur: illa potius vide, illa devita, quae nos observant, quae captant. Rari sunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti: ab homine homini quotidianum periculum. Adversus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat: crepant aedificia, antequam corruant: praenuntiat fumus incendium: subita est ex homine pernicies, et eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, si istorum, tibi qui occurrunt, vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum; nisi quod illarum perniciosior est primus incur-

sus, quos transire non queunt. Numquam enim illas ad nocendum nisi necessitas inigit, aut fame aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum sit, ut cogites, quod sit homini officium. Alterum intuere, ne laedaris, alterum, ne laedas. Commodis omnium laeteris, movearis incommodis, et memineris, quae praestare debeas, quae cavere. Sic vivendo quid consequeris? non, ut ne noceant, sed ne fallant. Quantum autem potes, in philosophiam secede. Illa te sinu suo proteget, in hujus sacrario eris aut tutus, aut tutior. Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes. Quin etiam ipsam philosophiam non debbis jactare. Multis fuit periculi causa insolenter tractata et contumaciter. Vitia tibi detrahat, non aliis exprobet; non abhorreat a publicis moribus; nec hoc agat, ut quidquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompa, sine invidia.

Epistola 105.

Brevia, sed utilia, praecepta ad securitatem. Lege et usurpa.

Quae observanda tibi sint, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen sic audias censeo ista praecepta, quomodo, si tibi praeciperem, qua ratione bonam validitatem in Ardeatino tuereris. Considera, quae sint, quae hominem in perniciem hominis instigent: invenies spem, invidiam, odium, metum, contemptum. Ex omnibus istis, adeo levissimum est contemptus, ut multi in illo remedii causa delituerint a). Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Nemo homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie jacens praeteritur, cum stante pugnatur. Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam et improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiamsi parum nota sunt. Sic vero invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si scieris in sinu gaudere. Odium autem ex offensa sic vitabis neminem lacessen-

do

do gratuito: a quo te sensus communis tuebitur, fuit enim hoc multis periculosum. Quidam odium habuerunt, nec inimicum. Illud, ne timearis, praestabit tibi et fortunae mediocritas et ingenii lenitas, quum te esse hominem scient, quem offendere sine periculo possiat. Reconciliatio tua et facilis sit et certa. Timeri autem tam domi molestum est quam foris, tam a servis quam a liberis. Nulli non ad nocendum satis virium est. Adjice nunc, quod qui timetur, timet: nemo potuit terribilis esse secure. Contemptus superest, cujus modum in sua potestate habet, qui illum sibi adjunxit: qui contemnitur, quia voluit, non quia debuit. Hujus incommodum et artes bonae discutiunt et amicitiae eorum, qui apud aliquem potentem potentes sunt, quibus adplicari expediet, non implicari; ne pluris remedium quam periculum constet. Nihil tamen aequè proderit, quam quiescere, minimum cum aliis loqui, plurimum secum. Est quaedam dulcedo sermonis, quae irrepit, et blanditur et non aliter quam ebrietas et amor secreta producit. Nemo, quod audierit, tacebit; nemo, quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacebit, non tacebit auctorem. Habet unusquisque aliquem, cui tantum credit, quantum ipsi creditum est; ut garrulitatem suam custodiat, et contentus sit unius auribus, populum faciet *b*). Sic, quod modo secretum erat, rumor est. Securitatis magna portio est nihil iniqui facere. Confusam vitam et perturbatam impotentés agunt: tantum metuunt, quantum nocent, ne ullo tempore vacant. Trepidant enim, quum fecerint, haerent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respondere ad se cogit *c*). Dat poenas, quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum: putat enim se, etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi, et inter somnos movetur, et quoties alicujus scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur; non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam.

- a*) *remedii causa delituerint*, ut Brutus, qui reges ejecit, qui ut Livius ait, contemptu tutus erat.
b) *populum faciet*, dum scilicet uni dicit, qui rursus dicat alteri, et hic tertio, donec omnes scient.
c) *respondere ad se cogit*, dum se ipsum interrogat, quid feci? quid fiet? quid patiar? Alii legunt: *respicere ad se cogit*.

B. Poëticae.

1. Ex Publii Ovidii Nasonis epistolis ex Ponto.

R u f i n o .

Lib. I. 3.

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem;
 Qui miser est, ulli si suus esse potest.
 Reddita confusae nuper solatia menti
 Auxilium nostris spemque tulere malis.
 Utque Machaoniis Paeantius a) artibus heros
 Lenito medicam vulnere sensit opem:
 Sic ego mente jacens et acerbo saucius ictu,
 Admonitu coepl fortior esse tuo.
 Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
 Ut solet infuso vena redire mero b).
 Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
 Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
 Ut multum nostrae demas de gurgite curae;
 Non minus exhausto, quod superabit, erit.
 Tempore ducetur longo fortasse cicatrix:
 Horrent admotas vulnera cruda manus.
 Non est in medico semper, relevetur ut aeger;
 Interdum docta plus valet arte malum.
 Cernis, ut e molli sanguis pulmone remissus
 Ad Stygias certo limite ducat aquas.
 Adferat ipse licet sacras Epidaurius c) herbas,
 Sanabit nulla vulnera cordis ope.
 Tollere nodosam nescit medicina podagram,
 Nec formidatis auxiliatur aquis.
 Cura quoque interdum nulla medicabilis arte;
 Aut, ut sit, longa est extenuanda mora.
 Quum bene firmarunt animum praecepta jacentem,
 Sumtaque sunt nobis pectoris arma tui:
 Rursus amor patriae, ratione valentior omni,
 Quod tua texerunt scripta, retexit opus.
 Sive pium vis hoc, sive hoc muliebri vocari;
 Confiteor, misero molle cor esse mihi.
 Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
 Fumum de patriis posse videre focus d).

Nescio, qua natale solum dulcedine captos
 Ducit et immemores non sinit esse sui.
 Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?
 Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
 Quum bene sit clausae cavea Pandione natae c),
 Nititur in silvas illa redire suas.
 Adsuetos tauri saltus, adsueta leones
 (Nec feritas illos impedit) antra petunt.
 Tu tamen exsilii morsus e pectore nostro
 Fomentis speras cedere posse tuis.
 Effice, nos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
 Talibus et levius sit caruisse malum.
 At, puto, qua fueram genitus, tellure carenti,
 In tamen humano contigit esse loco.
 Orbis in extremi jaceo desertus arenis,
 Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
 Non ager hic pomum, non dulces educat uvas.
 Non salices ripa, robora monte virent.
 Neve fretum terra laudes magis; aequora semper
 Ventorum rabie, solibus orba, tument.
 Quocumque adspicias, campi cultore carentes,
 Vastaque, quae nemo vindicet, arva jacent.
 Hostis adest, dextra laevaue a parte timendus;
 Vicinoque metu terret utrumque latus:
 Altera Bistonias pars est sensura sarissas f),
 Altera Sarmatica spicula missa manu.
 I nunc, et veterum nobis exempla virorum,
 Qui forti casum mente tulere, refer;
 Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
 Non usi redivit conditione dati.
 Smyrna virum tenuit, non pontus et hostica tellus;
 Paene minus nullo Smyrna petenda loco.
 Non doluit patria Cynicus procul esse Synopeus:
 Legit enim sedes, Attica terra, tuas,
 Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
 Argolica primam sensit in urbe fugam.
 Pulsus Aristides patria Lacedaemona fugit;
 Inter quas dubium, quae prior esset, erat.
 Caede puer facta Patroclus Opunta reliquit,
 Thessaliamque adiit, hospes Achilles, humum.
 Exsul ab Haemonia Pirenida cessit ad undam,
 Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.
 Liquit Agenorides Sidonia moenia Cadmus,
 Poneret ut muros in meliore loco.

Venit ad Adrastum Tydeus, Calydone fugatus;
 Et Teucrum Veneri grata recepit humus g).
 Quid referam veteres Romanae gentis, apud quos
 Exsulibus tellus ultima Tibur erat?
 Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus aevis
 Tam procul a patria est horridiorve locus.
 Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
 Qui facit ex dictis non ita multa tuis.
 Nec tamen infitior, si possint nostra coire
 Vulnere: praeceptis posse coire tuis.
 Sed vereor, ne me frustra servare labores,
 Neu juver admota perditus aeger ope.
 Nec loquor haec, quia sit major prudentia nobis;
 Sed sim, quam medico, notior ipse mihi.
 Ut tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
 Ad me pervenit, consuliturque boni.

a) Machaon, Aesculapii filius, vulnere Philocratis, qui erat Pae-
 antis filius, medebatur.

b) Animi deliquium passis ope vini redit animus.

c) Aesculapius celeberrimum Epidauri (Malvasiae) in Pelopon-
 neso habuit templum.

d) Homeri Odyss. L. I. v. 57.

————— Ὀδυσσεύς
 ἰεμενός καὶ καπνὸς ἀποδρασκόντα νοήσας
 ἢς γαίης. Σαρρὴν ἰμεσται

————— Odysseus,

Sehnsuchtsvoll nur den Rauch von fern aufsteigen zu sehen
 Seines Landes, zu sterben begehret er.

e) Philomelo Pandionis filia.

f) Sarissis utebantur praecipue Thraeces: hinc *Bistonia* Sarissa,
Bistonia urbs in Thracia. Erat vero, teste Aeliano, sarissa-
 rum longitudo e veteri et primario instituto XVII. cubitorum,
 at ex rei veritate XIV. *Spiculum*, quod prisca Latini pilum
 dixerant, erat longitudinis V. cubitorum cum dimidio.

g) *P. Rutilio Rufo*, Smyrnam in exilium misso, omnes Asiae
 urbes legatos obviam miserant. Vide *Valerium Maximum*
Lib. II. c. 10. §. 5. Rutilius per Sullam revocatus, noluit re-
 dire Romam, sed Smyrnae otium studiis solabatur. *Cynicus*
Synopeus, Diogenes. *Neoclides*, Themistocles Neocli filius.
Opus in Locride. *Pirene* fons Corinthi, quo Medea occiso
Pelia, Thessalorum rego, fugerat.

M a x i m o.

Lib. I. 5.

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat.
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exsilii ne videre mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquae.
Et mihi, si quis erat, ducendi carminis usus
Deficit, estque, minor factus inerte situ.
Haec quoque, quae legitis, (si quid mihi, Maxime, credis),
Scribimus invita, vixque coacta, manu.
Non libet in tales animum contendere curas,
Nec venit ad duros Musa vocata Getas.
Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum:
Sed non fit fato molior ille meo.
Quum relogo, scripsisse pudet: quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, iudice digna lini.
Nec tamen emendo; labor hic, quam scribere major,
Mensque pati durum sustinet aegra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
Et sub iudicium singula verba vocem?
Torquet enim fortuna parum, nisi Nilus in Hebrum
Confluat? et frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
Subducunt oneri colla perusta boves.
At, puto, fructus adest, justissima causa laborum,
Et sata cum multo fenore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum
Profuit (atque utinam non nocuisset!) opus.
Cur igitur scribam, miraris? miror et ipse,
Et mecum quaero saepe, quid inde feram?
An populus vere sanos negat esse poëtas,
Sumque fides hujus maxima vocis ego?
Qui, sterili toties quum sim deceptus ab arvo,
Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus et adsueta ponere in arte juvat.
Saucius ejurat pugnam gladiator, et idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.

Nil

Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis :
 Mox ducit remos, qua modo navit, aqua.
 Sic ego constanter studium non utile carpo;
 Et repeto, nollem quas coluisse, deas.
 Quid potius faciam? non sum qui segnia ducam
 Otia; mors nobis tempus habetur iners.
 Nec juvat in lucem nimio marcescere vino,
 Nec tenet incertas alea blanda manus.
 Quum dedimus somno, quae corpus postulat, horas,
 Quo ponam vigilans tempora longa modo?
 Moris an oblitus patrii contendere discam
 Sarmaticos arcus, et trahar arte loci?
 Hoc quoque me studium prohibent adsumere vires,
 Mensque magis gracili corpore nostra valet.
 Quum bene quaesieris, quid agam: magis utile nil est
 Artibus his, quae nil utilitatis habent.
 Consequor ex illis casus obliviam nostri:
 Hanc, satis est, messem si mea reddit humus.
 Gloria vos acuat: vos, ut recitata probentur
 Carmina, Pieriis invigilate choris.
 Quod venit ex facili, satis est componere nobis,
 Et nimis intenti causa laboris abest.
 Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
 An verear, ne non adprobet illa Getes?
 Forsitan audacter faciam, sed glorior, Istrum
 Ingenio nullum majus habere meo.
 Hoc, ubi vivendum, satis est, si consequor arvo,
 Inter inhumanos esse poëta Getas.
 Quod mihi diversum fama contendere in orbem?
 Quum fortuna dedit, Roma sit ille locus.
 Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.
 Sic merui; magni sic voluere dei.
 Nec reor hinc illuc nostris iter esse libellis,
 Quo boreas penna deficiente venit.
 Dividimur caelo; quaeque est procul urbe Quirini,
 Adspicit hirsutos cominus Ursa Getas:
 Per tantum terrae, tot aquas vix credere possim
 Indicium studii transiluisse mei.
 Finge legi, quodque est mirabile, finge placere:
 Auctorem certe res juvet ista nihil.
 Quo tibi, si calida positus laudare Syene *a)*,
 Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua?
 Altius ire libet? si te distantia longe
 Pleiadum *b)* laudent signa, quid inde feras?

Sed neque pervenio scriptis mediocribus isthuc
Famaque cum domino fugit ab urbe suo.
Vosque, quibus perii tunc, quum mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

- a) *Syene*, urbs Aegyptii ad Nilum, prope fines Aethiopiae;
Taprobane, maris Indi insula, non satis nota, nonnullis vi-
detur esse *Ceylon*.
b) *Pleiades*, latine *Vergiliae*, (das Siebengestirn) proprie a
πλωμα i. e. *navigo*, stellae navigationi utiles.

M a x i m o.

Lib. I. 9.

Quae mihi de raptō a) tua venit epistola Celso,
Protinus est lacrimis humida facta meis.
Quodque nefas dictu, fieri nec posse putavi,
Invitis oculis litera lecta tua est,
Nec quidquam ad nostras pervenit acerbius aures,
Ut sumus in Ponto; perveniatque, precor.
Ante meos oculos, tamquam praesentis imago,
Haeret; et extinctum vivere fingit amor.
Saepe refert animus lusus gravitate carentes,
Seria cum liquida saepe peracta fide.
Nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis
Quae vellem vitae summa fuisse meae.
Quum domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit, in domini procubuitque caput:
Adfuit ille mihi, quum pars me magna reliquit,
Maxime, fortunae nec fuit ipse comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam si frater in igne foret.
Haesit in amplexu, consolatusque jacentem est,
Cumque meis lacrimis miscuit usque suas.
O quoties vitae custos invisus amarae
Continuit promptas in mea fata manus!
O quoties dixit: Placabilis ira deorum est b).
Vive, nec ignosci tu tibi posse nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima: Respice, quantum
Debeat auxilii Maximus esse tibi.

Maximus incumbet, quaque est pietate, rogabit,
 Ne sit ad extremum Caesaris ira tenax;
 Cumque suis fratris vires adhibebit, et omnem,
 Quo levius doleas, experietur opem.
 Haec mihi verba malae minuerunt taedia vitae,
 Quae tu ne fuerint, Maxime, vana, cave.
 Huc quoque venturum mihi se jurare solebat;
 Non nisi te longae jus sibi dante viae.
 Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
 Terrarum dominos quam colis ipse deos.
 Crede mihi, multos habeas quum dignus amicos,
 Non fuit e multis quolibet ille minor:
 Si modo nec census, nec clarum nomen avorum,
 Sed probitas magnos ingeniumque facit.
 Jure igitur Celso lacrimas libamus adempto;
 Quum fugerem, vivo quas dedit ille mihi.
 Carmina jure damus raros testantia mores;
 Ut tua venturi nomina, Celse, legant.
 Hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab arvis:
 Hoc solum est isthic, quod liquet esse meum.
 Funera nec potui comitare, nec ungere corpus,
 Atque tuis toto dividor orbe rogis.
 Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,
 Praestiit officium Maximus omne tibi.
 Ille tibi exequias, et magni funus honoris
 Fecit, et in gelidos versit amoma ^{c)} sinus:
 Diluit et lacrimis moerens ungenta profusis,
 Ossaque vicina condita textit humo.
 Qui quoniam exstinctis, quae debet, praestat amicis,
 Et nos exstinctis adnumerare potest.

a) *raptō*, i. e. per mortem abrepto.

b) *Ira deorum*, i. e. Augusti.

c) *Amomum* ponitur pro unguento ex amomis confecto. Unguenta, ut Servius in Virg. Aeneid. V. 244. observat, in sacris superis *funduntur*, in inferis *verguntur*.

Germanico Caesari.

Lib. II. 1.

Huc quoque Caesarei ^{a)} pervenit fama triumphi,
 Languida quo fessi vix venit aura Noti.

Nil fore dulci mihi Scythica regione putavi.
 Jam minus hic odio est, quam fuit ante, locus.
 Tandem aliquid pulsa curarum nube serenum
 Vidi; fortunae verba dedique meae.
 Noli: ut ulla mihi contingere gaudia Caesar,
 Velle potest cuivis haec tamen una dari.
 Di quoque, ut a cunctis hilari pietate colantur:
 Tristitiam poni per sua festa iubent.
 Denique, quo certus furor est audere fateri,
 Hac ego laetitia, si vetet ipse, fruam.
 Jupiter utilibus, quoties juvat imbribus agros,
 Mixta tenax segeti crescere lappa solet.
 Nos quoque frugiferum sentimus inutilis herba
 Numen; et invita saepe juvamus ope.
 Gaudia Caesareae mentis pro parte virili
 Sunt mea; privati nil habet illa domus.
 Gratia, Fama, tibi: per quam spectata triumphi
 Includo medijs est mihi pompa Getis.
 Indice te didici, nuper visenda coisse
 Innumeras gentes ad ducis ora sui;
 Quaeque capit vastis, immensum moenibus orbem,
 Hospitijs Romam vix habuisse locum.
 Tu mihi narrasti, quum multis lucibus ante
 Fuderit adsiduas nubilus Auster aquas,
 Lumine caelesti solem fulsisse serenum,
 Cum populi vultu conveniente die,
 Atque ita victorem cum magno vocis honore
 Bellica laudatis dona dedisse viris:
 Claraque sumpturum pictas *b)* insignia vestes;
 Thura prius sanctis imposuisse focis:
 Justitiamque sui caste placasse parentis,
 Illo quae templum pectore semper habet.
 Quaque ierit, felix adjectum plausibus omen:
 Saxaque roratis erubuisse rosis.
 Protenus argento, veros imitantia muros,
 Barbara cum victis oppida lata viris
 Fulminaque et montes et in altis pascua silvis,
 Armaque cum telis instrue mixta suis;
 Deque triumphato, quod sol incenderit, auro
 Aurea romani tecta fuisse fori.
 Totque tulisse duces, captivis addita collis
 Vincula, paene hostes quot satis esse fuit.
 Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt:
 In quibus et belli summa caputque, Bato *c)*.

Cur ego posse negem minui mihi numinis iram,
 Quum videam mites hostibus esse deos?
 Pertulit huc idem nobis, Germanice, rumor,
 Oppida sub titulo nominis esse tui.
 Atque ea te contra, nec muri mole, nec armis,
 Nec satis ingenio tuta fuisse loci.
 Di tibi dent annos! a te nam cetera sumes;
 Sint modo virtuti tempora longa tuae.
 Quod precor, eveniet: sunt quiddam oracula vatum.
 Nam deus optanti prospera signa dedit.
 Te quoque victorem Tarpejas scandere in arces
 Laeta coronatis Roma videbit equis.
 Matusrosque pater nati spectabit honores,
 Gaudia percipiens, quae dedit ipse suis.
 Jam nunc haec a me, juvenum belloque togaque
 Maxime, dicta tibi vaticinante nota.
 Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum:
 Sufficiet nostris si modo vita malis;
 Imbuero Scythicas si non prius ipse sattigas,
 Abstuleritque ferox hoc caput ense Getes.
 Quod si, me salvo, dabitur tibi laurea templis:
 Omnia his dices vera fuisse mea.

a) Tiberii de Illyriis.

b) *pictae vestes*, i. e. triumphales.

c) Batonem Pannonium ducem, ingentibus donatum praemiis, Ravennam (*Tiberius*) transtulit: gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus esset evadere. *Suet. in Tib. c. 20.*

A t t i c o.

Lib. II. 7.

Esse salutatum vult te mea litera primum
 A male pacatis, Attice, missa Getis.
 Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas:
 Et si, quidquid agas, sit tibi cura mei.
 Nec dubito, quin sit: sed me timor ipse malorum
 Saepe supervacuos cogit habere metus.
 Da veniam, quaeso, nimioque ignosce timori.
 Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Qui

Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis aera subesse putat.
Saepe canem longe visum fugit agna, lupumque
Credidit, et ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum:
Vanaque sollicitis incutit umbra metum.
Sic ego fortunae telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.
Jam mihi fata liquet coeptos servantia cursus
Per sibi consuetas semper itura vias;
Observare deos, ne quid mihi cedat amice;
Verbaque fortunae vix puto posse dari.
Est illi curae me perdere; quaeque solebat
Esse levis, constans et bene certa nocet.
Crede mihi, si sum veri tibi cognitus oris,
Nec fraus in nostris casibus esse potest,
Cyniphiae a) segetis citius numerabis aristas,
Altaque quam multis floreat Hybla thymis.
Et quot aves motis nitantur in aëra pennis,
Quotque natent pisces aequore, certus eris:
Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terra, quos ego passus aqua.
Nulla Getis toto gens est truculentior orbe:
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.
Quae tibi si memori coner praescribere versu,
Ilias est fatis longa futura meis.
Non igitur vereor, quod te rear esse verendum,
Cujus amor nobis pignora mille dedit:
Sed quia res timida est omnis miser, et quia longo
Tempore laetitiae janua clausa meae est.
Jam dolor in morem venit meus, utque caducis
Percussu crebro saxa cavantur aquis:
Sic ego continuo fortunae vulneror ictu;
Vixque habet in nobis jam nova plaga locum.
Nec magis adsiduo vomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curvis Appia trita rotis:
Pectora quam mea sunt serie caecata laborum;
Et nihil inveni, quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quaesita est gloria multis;
Infelix perii dotibus ipse meis.
Vita prior vitio caret, et sine labe peracta:
Auxilii misero nil tulit illa mihi.
Culpa gravis precibus donatur saepe suorum:
Omnis pro nobis gratia muta fuit.

Adjuvat in duris alios praesentia rebus:
 Obruit hoc absens vasta procella caput.
 Quae non horruerint tacitam quoque Caesaris iram?
 Addita sunt poenis aspera verba meis.
 Fit fuga temporibus levior: projectus in aequor.
 Arcturum subii Pleiadumque minas.
 Saepe solent hiemem placidam sentire carinae:
 Non Ithacae puppi saevior unda fuit.
 Recta fides comitum poterat mala tanta levare;
 Ditata est spoliis perfida turba meis.
 Mitius exilium faciunt loca: tristior ista
 Terra sub ambobus non jacet ulla polis.
 Est aliquid patrii vicinum finibus esse;
 Ultima me tellus, ultimus orbis habet.
 Praestat et exulibus pacem tua laurea, Caesar:
 Pontica finitimo terra sub hoste jacet.
 Tempus in agrorum cultu consumere dulce est:
 Non patitur verti barbarus hostis humum.
 Temperie caeli corpusque animusque juvantur:
 Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
 Est in aqua dulci non invidiosa voluptas:
 Aequeo bibitur cum sale mixta palus.
 Omnia deficiunt: animus tamen omnia vincit.
 Ille etiam vires corpus habere facit.
 Sustineas, ut onus, nitendum vertice pleno est;
 At flecti nervos si patiare, cadet.
 Spes quoque, posse mora mitescere principis iram,
 Vivere ne nolim deficiamque, cavet.
 Nec vos parva datis paucis solatia nobis,
 Quorum spectata est per mala nostra fides,
 Coepta tene, quaeso, nec in aequore desere navem:
 Meque simul serva iudiciumque tuum.

a) *Cinyphus*, fluvius Africae, frumenti fertilissimae. Observa simul periphrasim poëticam, per comparationes, *laborum innumerabilium*.

Cothyi, Thraciae Regi.

Lib. II. 9.

Regia progenies, cui nobilitatis origo
 Nomen in Eumolpi pervenit usque, Cothy a)!

Fa-

Fama loquax vestras si jam pervenit ad aures,
 Me tibi finitimi parte jacere soli:
 Supplicis exaudi, juvenum mitissime, vocem,
 Quamque potes, profugo (nam potes) adfer opem.
 Me fortuna tibi (de qua ne conquerar, hoc est)
 Tradidit hoc uno non inimica mihi.
 Excipe naufragium non duro litore nostrum,
 Ne fuerit terra tutior unda tua.
 Regia (crede mihi) res est, succurrere lapsis:
 Convenit et tanto, quantus et ipse, viro.
 Fortunam decet hoc istam: quae maxima quum sit,
 Esse potest animo vix tamen aequa tuo.
 Conspicitur numquam meliore potentia causa,
 Quam quoties vanas non sinit esse preces.
 Hoc nitor ille tui generis desiderat, hoc est
 A Superis ortae nobilitatis opus.
 Hoc tibi et Eumolpus, generis clarissimus auctor,
 Et prior Eumolpo suadet Erichthonius *b*).
 Hoc tecum commune deo: quod uterque rogati
 Supplicibus vestris ferre soletis opem.
 Numquid erit, solito quare dignemur honore
 Numina, si demas velle juvare deos?
 Jupiter oranti surdas si praebeat aures:
 Victima pro templo cur cadat icta Jovis?
 Si pacem nullam pontus mihi praestat eunti,
 Irrita Neptuno cur ego thura feram?
 Vana laborantis si fallant vota coloni,
 Accipiat gravidae cur suis exta Ceres?
 Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
 Musta sub adducto si pede nulla fluant.
 Caesar ut imperii moderetur frena, precamur,
 Tam bene quo patriae consulit ille suae.
 Utilitas igitur magnos hominesque deosque
 Efficit auxiliis quoque favente suis.
 Tu quoque fac prosis intra tua castra jacenti,
 O Cothy, progenies digna parente tuo.
 Conveniens homini est hominem servare voluptas:
 Et melius nulla quaeritur arte favor.
 Quis non Antiphatem Laestrygona devovet? aut quis
 Munifici mores improbat Alcinoi?
 Non tibi Cassandreuus pater est, gentisque Phereae;
 Quive repertorem torruit arte sua *c*):
 Sed quam Marte ferox, et vinci nescius armis,
 Tam numquam facta pace cruoris amans.

Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes,
 Emollit mores, nec sinit esse feros.
 Nec regum quisquam magis est instructus ab illis,
 Mitibus aut studiis tempora plura dedit.
 Carmina testantur; quae si tua nomina demas,
 Threïcium juvenem composuisse negem.
 Neve sub hoc tractu vates foret unicus Orpheus:
 Bistonis ingenio terra superba tuo est.
 Utque tibi est animus, quum res ita postulat, arma
 Sumere, et hostili tingere caede manum;
 Atque, ut es, excusso jaculum torquere lacerto,
 Collaque velocis flectere doctus equi:
 Tempora sic data sunt studiis ubi justa paternis *d*),
 Utque suis humeris forte quievit opus,
 Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
 Lucida Pieria tendis in astra via.
 Haec quoque res aliquid tecum mihi foederis adfert:
 Ejusdem sacri cultor uterque sumus.
 Ad vatem vates orantia brachia tendo,
 Terra sit exsiliis ut tua fida meis.
 Non ego caede nocens in Pontica litora veni:
 Mixtave sunt nostra dira venena manu:
 Nec mea subjecta convicta est gemma tabella
 Mendacem linis imposuisse notam;
 Nec quidquam, quod lege veter committere, feci.
 Et tamen his gravior noxa fatenda mihi est.
 Neve roges quid sit; stultam conscripsimus artem:
 Innocuas nobis haec vetat esse manus.
 Ecquid praeterea peccarim, quaerere noli:
 Ut lateat sola culpa sub arte mea.
 Quidquid id est, habui moderatam vindicis iram:
 Qui, nisi natalem, nil mihi demsit, humum.
 Hac quoniam careo: tua nunc vicinia praestet,
 Inviso possim tutus ut esse loco.

a) Cothys, deducebat genus ab Eumolpo, rege Thraciae, Neptuni filio. Alius est Eumolpus, Musaei filius, et discipulus Orphei, a quo Eumolpidae sacerdotes Athenienses denominantur.

b) Eumolpi mater Chione erat filia Orithyiae et neptis Erechthei, regis Athenarum, cujus pater Pandion, et avus Erichthonius; qui secundum alios idem est, qui Erechtheus.

c) *Antiphates*, rex Laestrigonum in Italia, vide Hom. Odyss. X. v. 81. sqq. *Alcinous*, rex Phaeaciae, seu Coreyrae (Corfu) et Argonautas, et Ulyxem naufragum hospitio

exceptit. *Apollo*dorus, crudelis tyrannus Cassandreae, ante Potidaeae, in Macedonia, haud procul a sinu Thermaico. *Alexander*, rex Pherarum, urbis in Thessalia, qui et uxorem et fratrem sustulit veneno. *Phalaris* Peillum, inventorem tauri aenei, cremarat.

d) Studiis et exercitiis militaribus.

2. Ex Q. Horatii Flacci epistolis.

Ad Lollium.

Lib. I. 2.

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
 Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi,
 Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
 Planius ac melius Chrysippe et Crantore a) dicit.
 Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
 Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
 Graecia barbariae lento collisa duello,
 Stultorum regum et populorum continet aestus.
 Antenor censet belli praecidere causam.
 Quid Paris? *Ut salvus regnet, vivatque beatus,*
Cogi posse negat. Nestor componere lites
 Inter Peleiden festinat et inter Atreiden:
 Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
 Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
 Seditioe, dolis, scelere, atque libidine et ira,
 Iliacos intra muros peccatur et extra.
 Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
 Utile proposuit nobis exemplar Ulyxen:
 Qui domitor Trojae, multorum providus urbes
 Et mores hominum inspexit, latumque per aequor
 Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
 Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
 Sirenium voces, et Circes pocula nosti:
 Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset:
 Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
 Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
 Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique
 In cute curanda plus aequo operata juvenus;
 Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
 Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
 Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
 Ut te ipsum serves, non expergiseris? atqui
 Si noles sanus, curres hydropticus; et ni
 Posces ante diem librum cum lumine, si non
 Intendens animum studiis, et rebus honestis:
 Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
 Quae laedunt oculum, festinas demere: si quid
 Est animum, differs curandi tempus in annum?
 Dimidium facti, qui coepit, habet; sapere aude;
 Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
 Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
 Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.
 Quod satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.
 Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
 Aegroto domino deduxit corpore febres,
 Non animo curas. Valeat possessor oportet,
 Si comportatis rebus bene cogitat uti.
 Qui cupit et metuit, juvat illum sic domus aut res,
 Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
 Auriculas citharae collecta sorde dolentis.
 Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
 Sperne voluptates; nocet emta dolore voluptas.
 Semper avarus eget: certum voto pete finem.
 Invidus alterius marcescit rebus opimis.
 Invidia Siculi non invenere tyranni *b)*
 Majus tormentum. Qui non moderabitur irae,
 Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
 Dum poenas odio per vim festinat inulto.
 Ira furor brevis est: animum rege, qui, nisi paret,
 Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
 Fingit equum tenera docilem cervice magister
 Ire viam, qua monstrat eques. Venaticus, ex quo
 Tempore cervinam pellem latravit in aula,
 Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
 Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
 Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
 Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis;
 Nec tardum opperior, nec praecedentibus insto.

- a) *Chrysippus*, philosophus stoicus celeberrimus, *Crantor* de-
 cus academiae.
 b) *Phalaris*, Agrigentinorum in Sicilia rex, notae crudelitatis.

Ad Albiū Tibullum.

Lib. I. 4.

Albi nostrorum sermonum candide iudex,
 Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
 Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
 An tacitum silvas inter reptare salubres,
 Curantem, quidquid dignum sapiente bonoque est?
 Non tu corpus eras sine pectore, dī tibi formam,
 Dī tibi divitias dederant, artemque fruendi.
 Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui sapere et fari possit, quae sentiat, et cui
Gratia, forma, validudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?
 Inter spem curamque, timores inter et iras,
 Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
 Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.
 Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
 Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Ad Maecenatem.

Lib. I. 7

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
 Sextilem totum mendax desideror. Atqui
 Si me vivere vis, recteque videre valentem,
 Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
 Maecenas, veniam: dum ficus prima calorque
 Designatorem decorat lictoribus atris:
 Dum pueris omnis pater et matercula pallet:
 Officiosaque sedulitas et opella forensis
 Adducit febres, et testamenta resignat.
 Quod si bruma nives Albanis illinet agris,
 Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcat,

Con-

Contractusque leget: te, dulcis amice, reviset
 Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
 Non, quo more piris vesci Calaber jubet hospes.
 Tu me fecisti locupletem: *Vescere sodes.*
Jam satis est. At tu quantum vis tolle. Benigne.
Non invisā feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.
 Prodigus et stultus donat, quae spernit et odit.
 Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
 Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus;
 Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
 Dignum praestabo me etiam pro laudē merentis.
 Quod si me noles usquam discedere, reddes
 Forte latus, nigros angusta fronte capillos:
 Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum.
 Forte per augustam tenuis nitedula rimam
 Reperat in cumeram frumenti: pastaque rursus
 Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
 Cui mustela procul: *Si vis, ait, effugere isthinc,*
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
 Hac ego si compellar imagine, cuncta resigno;
 Nec somnum plebis laudo, satur altitium, nec
 Otia divitiis Arabum liberrima muto.
 Saepe verecundum laudasti; rexque paterque
 Audisti coram, nec verbo parcius absens:
 Inspice, si possim donata reponere laetus.
 Haud male Telemachus, proles patientis Ulyxei:
 Non est aptus equis Ithace locus: ut neque planis
 Porrectus spatiis, neque multae prodigus herbae:
 Atreide, magis apta tibi tua dona relinquam.
 Parvum parva decent: mihi jam non regia Roma,
 Sed vacuum Tibur placet, aut imbelles Tarentum.
 Strenuus et fortis, causisque Philippus a) agendis
 Clarus, ab officiis octavam circiter horam
 Dum redit, atque foro nimium distare Carinas b)
 Jam grandis natu queritur: conspexit, ut ajunt,
 Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra,
 Cultello proprios purgantem leniter ungues.
 Demetri (puer hic non laevē jussa Philippi
 Accipiebat) abi: *quaere, et refer, unde domo, quis,*
Cujus fortunac; quo sit patre, quove patrono.
 It, redit et narrat, *Vultejum, nomine Menam,*
Praecorem, tenui censu, sine crimine notum,
 Et

Et properare loco et cessare et quaerere, et uti,
 Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
 Et ludis, et post decisa negotia, campo.
 Scitari libet ex ipso, quaecumque refers, dic,
 Ad coenam veniat. Non sane credere Mena:
 Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne;
 Respondet. Neget ille mihi? Negat improbus, et te
 Negligit aut horret. Vultejum mane Philippus
 Vilia vendentem tunicato scruta popello
 Occupat, et salvere jubet prior. Ille Philippo
 Excusare laborem, et mercenaria vincla,
 Quod non mane domum venisset, denique, quod non
 Providisset eum. Sic ignovisse putato
 Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut libet. Ergo
 Post nonam venies. Nunc i, rem strenuus auge.
 Ut ventum ad coenam est, dicenda tacenda loquutus,
 Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe
 Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
 Mane cliens et jam certus conviva, jubetur
 Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
 Impositus mannis, arvum caelumque Sabinum
 Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus:
 Et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
 Dum septem donat sestertia, mutua septem
 Promittit, persuadet, uti mercetur agellum.
 Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra,
 Quam satis est, morer, ex nitido fit rusticus, atque
 Sulcos et vineta crepat inera, praeparat ulmos,
 Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
 Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
 Spem mentita seges, bos est enectus arando:
 Offensus damnis, media de nocte caballum
 Adripit, iratusque Philippi tendit ad aedes.
 Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus:
 Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
 Esse mihi. Pol, me miserum, patrone, vocares,
 Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen.
 Quod te per Genium, dextramque, Deosque Penates,
 Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.
 Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
 Praestent, mature redeat; repetatque relicta.
 Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

a) L. Marcus Philippus, A. U. 695. consul, vir eloquens et
 facetus,

b) *Carinae*, regio Romae, inter Exquillas, Palatium et Coelium.

Ad Celsum Albinovanum.

Lib. I. 8.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
Si quaeret, *quid agam*; dic, multa et pulchra minan-
tem

Vivere nec recte nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleamve momorderit aestus;
Nec quia longinquis armentum aegrotet in arvis,
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum:
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno;
Quae nocuere, sequar; fugiam, quae profere credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post haec, *ut valeat, quo pacto rem gerat, et se
Ut placeat juveni*; percontare, *utque cohorti.*
Si dicet: *recte*: primum gaudere, subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus,

Ad Fuscum Aristium,

Lib. I. 10.

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, ad cetera paene gemelli,
Fraternis animis, quidquid negat alter et alter,
Adnuimus pariter, vetuli notique columbi,
Tu nidum servas; ego laudo ruris amoeni
Rivos, et musco circumlita saxa nemusque.
Quid quaeris? vivo, et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad caelum effertis rumore secundo.

Ut

Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso:
 Pane egeo jam mellitis potiore placentis.
 Vivere naturae si convenienter oportet,
 Ponendaeque domo quaerenda est area primum:
 Novistine locum potiolem rure beato?
 Est ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
 Leniat et rabiem canis, et momenta leonis,
 Quum semel accepit solem furibundus acutum?
 Est, ubi divellat somnos minus invida cura?
 Deterius Lybicus olet aut nitet herba lapillis?
 Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
 Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
 Nempe inter varias nutritur silva columnas:
 Laudaturque domus, longos quae prospicit agros,
 Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
 Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
 Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
 Nescit Aquinatam potentia vellera fucum,
 Certius accipiet damnum, propriusve medullis,
 Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
 Quem res plus nimio delectavere secundae:
 Mutatae quatient. Si quid mirabere, pones
 Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
 Reges, et regnum vita praecurrere amicos.
*Cervus equum, pugna melior, communibus herbis
 Pellebat, donec minor in certamine longo
 Imploravit opes hominis, frenumque recepit.
 Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
 Non equitem dorso, non frenum depulit ore.*
 Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
 Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
 Serviet aeternum, qui parvo nesciet uti,
 Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
 Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.
 Laetus sorte tua vives sapienter Aristi;
 Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
 Cogere; quam satis est, ac non cessare videbor.
 Imperat, aut servit collecta pecunia cuique,
 Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.
 Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
 Excepto quod non simul esses, cetera laetus,

Ad Bullatium.

Lib. I. 11.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
 Quid concinna Samos? quid Croesi regia Sardis?
 Smyrna quid et Colophon, majora minorave fama?
 Cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?
 An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
 An Lebedum *a*) laudas, odio maris atque viarum?
 Scis, Lebedus quid sit? Gabiis desertior atque
 Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem,
 Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
 Neptunum procul e terra spectare furentem.
 Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque
 Adpersus, volet in caupona vivere; nec qui
 Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
 Ut fortunatam plene praestantia vitam.
 Nec, si te validus jactaverit Auster in alto,
 Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
 Incolumi Rhodus et Mitylene pulchra facit, quod
 Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
 Per brumam Tiberis, sextili mense caminus.
 Dum licet, et vultum servat fortuna benignum,
 Romae laudetur Samos, et Chios et Rhodos absens.
 Tu, quamcumque Deus tibi fortunaverit horam,
 Grata sume manu, nec dulcia differ in annum:
 Ut, quocumque loco fueris, vixisse libenter
 Te dicas. Nam si ratio et prudentia curas,
 Non locus effusi lato maris arbiter, aufert:
 Caelum non animum mutant, qui trans mare currunt,
 Strenua nos exercet inertia: navibus atque
 Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est:
 Est Ulubris, *b*) animus si te non deficit aequus.

a) *Lebedos*, Herodoti aevo in duodecim Ioniae urbibus praecipuis numerata, inclita Apollinis Clarii templo, et annuis Bacchi orgiis, tandem a Lysimacho diruta est.

b) *Ulubrae*, oppidulum, aut vicus ad pontinam paludem.

Ad Quinctium.

Lib. I. 16.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
 Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae,
 Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo:
 Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri,
 Continui montes, nisi dissocientur opaca
 Valle *a*): sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
 Laevum decedens curru fugiente vaporet.
 Temperiem laudes. Quid si rubicunda benigni
 Corna vepres et pruna ferunt? si quercus et ilex
 Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
 Dicas adductum proprius frondere Tarentum,
 Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
 Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus,
 Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
 Hac latebrae dulces, et jam, si credis, amoënae
 Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
 Tu recte vivis, si curas esse, quod audis.
 Jactamus jam pridem omnis te Roma beatum:
 Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas,
 Neve putes alium sapiente bonoque beatum:
 Neu si te populus sanum recteque valentem
 Dicitet, occultam febrem sub tempus edendi
 Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis,
 Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
 Si quis bella tibi terra pugnata marique
 Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
Tene magis salvum populis velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Jupiter: Augusti laudes agnoscere possis?
 Quum pateris sapiens emendatusque vocari;
 Respondesne tuo, dic, sodes, nomine? *Nempe*
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu.
 Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut si
 Detulerit fasces indigno; detrahet idem.
Pone meum est, inquit: pono, tristisque recedo.
 Idem, si clamet furem; neget esse pudicum,
 Contendat laqueo collum pressisse paternum;
 Mordeat opprobriis falsis, mutemve colorem?
 Ialsus honor juvat, et mendax infamia terret,
 Quem,

Quem, nisi mendosum et medicandum? Vir bonus est quis?

Qui consulta patrum, qui leges juraque servat:
 Quo multae magnaëque secantur iudice lites:
 Quo res sponsore, et quo causae teste tenentur.
 Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
 Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
 Servus: *Habes pretium, loris non ureris, ajo.*
Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi. Renuit, negitatque Sabellus;
 Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
 Suspectos laqueos, et opertum milvius hamum.
 Oderunt peccare boni virtutis amore:
 Tu nihil admittes in te formidine poenae.
 Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
 Nam de mille fabae modiis quum surripis unum,
 Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
 Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
 Quandocumque deos vel perco vel bove placat;
Jane pater, clare, clare quum dixit, Apollo;
Labra movet, metuens audiri, Puchra Laverna b),
Da mihi fallere, da justum sanctumque videri:
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
 Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
 In triviis fixum quum se demittit ob assem,
 Non video. Nam qui cupiet, metuet quoque: porro
 Qui metuens vivet, mihi liber non erit umquam.
 Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
 Semper in augenda festinat et obruitur re.
 Vendere quum possis captivum, occidere noli;
 Serviet utiliter. Sine pascat durus, aretque:
 Naviget ac mediis hiemet mercator in undis:
 Annonae prosit: portet frumenta penusque.
 Vir bonus et sapiens audebit dicere: *Pentheu, c)*
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas livet. In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipsè deus, simul atque volam, me solvet. Opinor.
 Hoc sentit: *Moriar.* Mors ultima linea rerum est.

a) Vallis haec cum monte adjacente dicta est *Ustia*, hodie:
Valle di Licenza.

- b) *Laverna*, nympha memoris, quo Romulus raptas Sapias servabat, tandem dea furum habita est.
 c) Nota est ex Ovidii *Met.* L. III v. 577. sqq. Fabula de Pentheo et Baccho, qui sub nomine Acoetis latitat.

A d P i s o n e s.

Lib. II. 3. a)

Humano capiti cervicem pictor equinam
 Jungere si velit, et varias inducere plumas
 Undique collatis membris, ut turpiter atrum
 Desinat in piscem mulier formosa superne;
 Spectatum admissi risum teneatis, amici?

Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
 Persimilem, cujus, velut aegri somnia, vanae
 Fingentur species; ut nec pes, nec caput uni
 Reddatur formae. *Pictoribus atque poëtis*
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
 Scimus, et hanc veniam petimusque, damusque vicissim:
 Sed non ut placidis coeant immitia; non ut
 Serpentes avibus gementur, tigribus agni.

Inceptis gravibus plerumque, et magna professis,
 Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
 Adsuitur pannus: quum lucus, et ara Dianae,
 Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
 Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
 Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
 Scis simulare. Quid hoc; si fractis enatam exspes
 Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
 Institui: currente rota, cur urceus exit?

Denique sit quodvis simplex duntaxat, et unum.
 Maxima pars vatium, pater, et juvenes patre digni,
 Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
 Obscurus fio: sectantem levia, nervi
 Deficiunt, animique: professus grandia, turget;
 Serpit humi, tutus nimium timidusque procellae.
 Qui variare cupit rem prodigialiter unam;
 Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.
 In vitium ducit culpa fuga, si caret arte.
 Aemilium circa ludum faber imus et unguis

Ex-

Exprimet, et molles imitabitur aere capillos,
 Infelix operis summa: quia ponere totum
 Nescit. Hunc ego me, si quid componere curem,
 Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
 Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
 Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
 Quid valeant humeri, Cui lecta potenter erit res,
 Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
 Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
 Pleraque differat, et praesens in tempus omittat,
 In verbis etiam tenuis, cautusque serendis,
 Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
 Dixeris egregie, notum si callida verbum
 Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
 Indiciis monstrare recentibus abdita rerum:
 Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 Continget, dabiturque licentia sumta pudenter:
 Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem: si
 Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
 Caecilio, Plautoque dabit Romanus, ademtum
 Virgilio, Varioque? Ego cur, adquirere pauca,
 Si possum, invideor, quum lingua Catonis, et Enni
 Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
 Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
 Signatum praesente nota producere nomen.
 Ut silvae foliis pronos mutantur in annos;
 Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
 Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
 Debemur morti nos nostraque: sive receptus
 Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
 Regis opus: sterilisve diu palus aptaque remis,
 Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum:
 Seu cursum mutavit iniquum frugibus annis,
 Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt:
 Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
 Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque,
 Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
 Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.
 Res gestae regumque ducumque et tristia bella,
 Quo scribi possint numero, monstravit Homerus.
 Versibus impariter junctis querimonia primum,
 Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Quis

Quis tamen exiguos elegos emisit auctor,
 Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.
 Archilochum proprio rabies armavit iambo:
 Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
 Alternis aptum sermonibus, et populares
 Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.

Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
 Et pugilem victorem, et equum certamine primum;
 Et juvenum curas, et libera vina referre.

Descriptas servare vices operumque colores,
 Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
 Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?

Versibus exponi tragicis res comica non vult.
 Indignatur item privatis, ac prope socco
 Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
 Singula quaeque locum teneant sortita decentem.

Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
 Iratusque Chremes tumido delitigat ore,
 Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
 Telephus et Peleus, quum pauper et exul uterque,
 Projicit ampullas, et sesquipedalia verba,
 Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunt,
 Et quocumque volent, animum auditoris agunt.
 Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
 Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
 Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia laedent,
 Telephe vel Peleu! Male si mandata loqueris,
 Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
 Vultum verba decent, iratum plena minarum,
 Ludentem lasciva, severum seria dictu.
 Formatur enim natura prius non intus ad omnem
 Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram;
 Aut ad humum moerore gravi deducit et angit:
 Post effert animi motus interprete lingua.

Si dicentis erunt fortunae absona dicta,
 Romani tollent equites peditesque cachinnum.

Intererit multum divusne loquatur, an heros:
 Maturusne senex, an adhuc florente juventa
 Fervidus: an matrona potens, an sedula nutrix,
 Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:

Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis,
 Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge
 Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem;

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
 Jura neget sibi nata, nihil non adroget armis.
 Sit Medea ferox invictaque; flebilis Ino;
 Perfidus Ixion; Io vaga; tristis Orestes.
 Si quid inexpertum scenae committis, et audes
 Personam formare novam: servetur ad imum,
 Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

Difficile est proprie communia dicere: tuque
 Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
 Quam si proferres ignota indictaque primus.

Publica materies privati juris erit, si
 Nec circa vilem patulumque moraberis orbem:
 Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
 Interpres: nec desilies imitator ad arctum,
 Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.
 Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
 Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
 Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi, Musa virum, captae post tempora Trojae,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.
 Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
 Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
 Antyphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdim.
 Nec reditum Diomedis ab interitu Melcagri,
 Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
 Semper ad eventum festinat, et in medias res;
 Non secus ac notas, auditorem rapit: et quae
 Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
 Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet;
 Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
 Tu, quid ego et populus mecum desideret,
 audi:

Si plausoris eges aulaea manentis, et usque
 Sessuri, donec cantor, *Vos plaudite*, dicat:
 Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
 Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
 Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
 Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
 Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
 Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi,
 Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,

Uti-

Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.

Conversis studiis, aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori:
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

Multa senem circumveniunt incommoda: vel
quod

Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat:
Dilator, spe longus, iners, pavidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatque minorum.

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles:
Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri, promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus:
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult, et spectata reponi.
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amicis:
Et regat iratos, et amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensae brevis: ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis:
Ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine paucis
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;

Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, castusque, verecundusque coibat.

Postquam coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus:

Accessit numerisque modisque licentia major.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus, urbano confusus, turpis honesto?

Sic priscae motumque et luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps:
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Carminē qui tragico vilem certavit ob hircum
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolūmi pravitate jocum tentavit; eo quod
Illecebris erat et grata novitate norandus
Spectator, functusque sacris, et potus et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut dum vitat humum, nubes et inania captet.

Effutire leves indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Interit Satyris paullum pudibunda protervis.

Non ego inornata, et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quis
Speret idem; sudet multum, frustra que laboret
Ausus idem. Tantum series, juncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.

Silyis deducti caveant, me iudice Fauni,
Ne velut innati triviis, ac paene forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus umquam:
Aut immunda crepent, ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res:
Nec,

Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis donantve corona.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus,
Pes citus: unde etiam trimetris ad crescere jussit
Nomen iambeis: quum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. *Hic et in Acci
Nobilibus trimetris adparet rarus, et Enni.*

In scenam missus magno cum pondere versus,
Aut operae celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
*Non quivis videt immodulata poemata iudex:
Et data Romanis venia est indigna poetis.*
Idcircone vager, scribamque licenter? ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus, et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam:
Non laudem merui. Vos exemplaria graeca
Nocturna versate manu, versate diurna,

*At nostri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere sales.* Nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati. Si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Ignotum tragicæ genus invenisse cænenæ
Dicitur, et plaustis vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Aeschylus, et modicis intravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Nil intentatum nostri liquere poetæ,
Nec minimum meruere decus, vestigia graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quam lingua Latium: si non offenderet unum-
Quemque poetarum limae labor, et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite: quod non

Multa dies, et multa litura coërcuit, atque
Praeseptum decies non castigavit ad unguem.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credidit, et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus; bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata. Verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus et officium, nil scribens ipse docebo:
Unde parentur opes; quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat
error.

Scribendi recte sapere est et principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus et ho-
spes,

Quod sit conscripti, quod iudicis officium; quae
Partes in bellum missi ducis: ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatore, et veras hinc ducere voces.

Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae.

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.

Romani pueri longis rationibus assem

Discunt in partes centum diducere. *Dicat*

Filius Albini: si de quincunce remota est

Uncia, quid superat? Poteras dixisse. Triens. En!

Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?

Semis. An haec animos aerugo, et cura peculi

Quum semel imbuerit, speramus carmina fingi

Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtae:

Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae.

Quid-

Quidquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.

Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi:
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.

Centuriae seniorum agitant expertia frugis;
Celsi praetereunt austeram poemata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et
mens;

Poscentique gravem persaepe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcumque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.

Ut pictura poësis erit, quae si propius stes,
Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum: volet haec sub luce videri,
Judicis argutum quae non formidat acumen.
Haec placuit semel: haec decies repetita placebit.

O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: *certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi.* Consultus juris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute disert
Messalae, nec scit, quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poëtis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum inventumque poema juvandis,

Si paullum summo discessit, vergit ad imum.
 Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
 Indoctusque pilae discive trochive quiescit,
 Ne spissae risum tollant impune coronae.
 Qui nescit, versus tamen audet fingere. *Quidni?
 Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
 Summam nummorum, vitiisque remotus ab omni.*

Tu nihil invita dices, faciesve Minerva;
 Id tibi iudicium est, ea mens. Si quid tamen olim
 Scripseris, in Meti descendat iudicis aures,
 Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
 Membranis intus positis. Delere licebit,
 Quod non edideris. Nescit vox missa reverti.

Silvestres homines sacer interpresque deorum
 Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus:
 Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.
 Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis,
 Saxa movere sono testudinis et prece blanda
 Ducere, quo veller. Fuit hæc sapientia quondam,
 Publica privatis secernere, sacra profanis,
 Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
 Oppida moliri, leges incidere ligno.
 Sic honor et nomen divinis vatibus atque
 Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
 Tyrtæusque mares animos in Martia bella
 Versibus exacuit. Dictæ per carmina sortes,
 Et vitæ monstrata via est, et gratia regum
 Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
 Et longorum operum finis. Ne forte pudori
 Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
 Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
 Nec rude quid possit, video, ingenium, alterius sic
 Altera poscit opem res, et conjurat amice.
 Qui studet optatam cursu contingere metam,
 Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
 Abstulit Venere et vino. Qui Pythia cantat
 Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
 Nec satis est dixisse: *Ego mira poemata pango:
 Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,
 Et, quod non didici, sano nescire fateri.*

Ut praeco ad merces turbam qui cogit emendas,
 Adsentatores jubet ad lucrum ire poeta
 Dives agris, dives positus in fenore nummis.

Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
 Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
 Litibus implicitum; mirabor si sciet inter —
 Noscere mendacem, verumque beatus amicum.

Tu seu donâris, seu quid donare voles cui,
 Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
 Laetitiae. Clamabit enim: *Pulchre, bene, recte!*
 Palescet super his; etiam stillabit amicis
 Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
 Ut, qui conducti plorant in funere, dicunt
 Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
 Derisor vero plus laudatore movetur.

Reges dicuntur multis urgere culullis
 Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
 An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
 Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.
 Quintilio si quid recitares: *Corrige, sodes*

Hoc, ajebat, *et hoc*. Melius te posse negares,
 Bis terque expertum frustra: delere jubebat,
 Et male tornatos incudi reddere versus.

Si defendere delictum quam vertere malles;
 Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem,
 Quin sine rivali teque et tua solus amares.

Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
 Culpabit duos: incomitis adlinet atrum

Transverso calamo signum: ambitiosa recidet
 Ornamenta: parum claris lucem dare coget,
 Arguet ambigue dictum: mutanda notabit:
 Fiet Aristarchus; nec dicet: *Cur ego amicum*
Offendam in nugis? Hae nugae seria ducent
 In mala, derisum semel exceptumque sinistre.

Ut, mala quem scabies aut morbus regius urget,
 Aut fanaticus error, et iracunda Diana,
 Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam,

Qui sapiunt: agitant pueri incautique sequuntur.

Hic, dum sublimis versus ructatur, et errat,
 Si veluti merulis intentus decedit auceps

In puteum, foveamve; licet, *Succurrite*, longum
 Clamet, *io, cives!* non sit, qui tollere curet.

Si curet quis opem ferre, et demittere funem:
 Qui scis, an prudens huc se dejecerit, atque

Servari nolit? dicam; Siculique poëtae
 Narrabo interitum. Deus immortalis haberi

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam

Insiluit. Sit jus, liceatque perire poëtis,
 Invitum qui servat, idem facit occidenti.
 Nec semel hoc fecit: nec si retractus erit, jam
 Fiet homo, et ponet famosae mortis amorem.
 Nec satis adparet, cur versus factitet: utrum
 Minxerit in patrios cineres, an triste bidental:
 Moverit incestus. Certe furit: ac velut ursus,
 Objectos caveae valuit si frangere clathros,
 Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
 Quem vero adripuit, tenet, occiditque legendo,
 Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

a) Nonnulli hanc epistolam operibus didacticis adnumerandam putant. Nos rem in medio linquimus, et, quum in omnibus editionibus inter epistolas locum habeat, eandem et nos epistolis adnumeramus. Quid enim vetat, epistolam esse didacticam?

3. Ex C. Valerio Catullo.

Ad Cornelium Nepotem.

Carm. 1.

Quoi dono lepidum novum libellum,
 Arida modo pumice expoliturum?
 Corneli, tibi; namque tu solebas
 Meas esse aliquid putare nugas,
 Jam tum, quum ausus es unus Itatorum
 Omne aevum tribus explicare chartis,
 Doctis, Jupiter! et laboriosis.
 Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
 Quaecumque: quod, o patrona Virgo,
 Plus uno maneat perenne seculo.

Ad Veranium.

Carm. 9.

Verani, omnibus e meis amicis
 Antistans mihi millibus trecentis!

Venistine domum ad tuos penates, *)
 Fratresque unanimes animumque matrem?
 Venisti. O mihi nuntii beati!
 Visam te incolumem, audiamque Iberum
 Narrantem loca, facta, nationes,
 Ut mos est tuus; adplicansque collum,
 Jucundum os oculosque suaviabor.
 O, quantum est hominum beatorum,
 Quid me laetius est beatusve.

*) Redux ex Hispania venerat.

Ad Cornificium.

Carm. 38.

Male est, Cornifici, tuo Catullo;
 Male est, me hercule, et laboriose,
 Et magis magis in dies et horas.
 Quem tu, quod minimum facillimumque est,
 Qua solatus es adloquutione?
 Irascor tibi. Sic meos amores?
 Paullum quid lubet adloquutionis
 Moestius lacrimis Simonideis. *)

*) Simonides carmina molliter querula scripserat, ut animo tristes, flens cum silentibus solaretur.

Ad M. T. Ciceronem.

Carm. 49.

Disertissime Romuli nepotum,
 Quot sunt, quodque fuere, Marce Tulli;
 Quotque post aliis erunt in annis;
 Gratias tibi maximas Catullus
 Agit, pessimus omnium poeta:
 Tanto pessimus omnium poeta,
 Quanto tu optimus omnium patronus.

VI. Carmen Didacticum.

Virgilii Georgicon Lib. IV.

Dedicatio operis.

v. 1—7.

Protenus aërei mellis caelestia dona
 Exsequar. Hanc etiam, Maecenas, adspice partem.
 Admiranda tibi levium spectacula rerum,
 Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
 Mores et studia, et populos, et proelia dicam.
 In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem
 Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Apum habitatio.

v. 8—50.

Pincipio sedes apibus statioque petenda,
 Quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
 Ferre domum prohibent), neque oves haedique petulci
 Floribus insultent, aut errans bucula campo
 Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
 Absint et picti squalentia terga lacerti
 Pinguibus a stabulis, meropesque, aliaeque volucres,
 Et manibus Progne pectus signata cruentis.
 Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
 Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.
 At liquidi fontes et stagna virentia musco
 Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus;
 Palmaque vestibulum aut ingens oleaster obumbret,
 Ut, quom prima novi ducent examina reges
 Vere suo, ludetque favis emissa Juventus,
 Vicina invitet decedere ripa calori;

Ob-

Obviaque hospitii teneat frondentibus arbos.
 In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
 Transversas salices et grandia conjice saxa;
 Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
 Pandere ad aestivum solem: si forte morantes
 Sparsarit, aut praeceps Neptuno immerserit Eurus.
 Haec circum casiae virides, et olentia late
 Serpylla, et graviter spirantis copia thymbrae
 Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.

Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
 Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
 Angustos habeant aditus: nam frigore mella
 Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
 Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illae
 Nequidquam in tectis certatim tenvia cera
 Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
 Explent, collectumque haec ipsa ad munera gluten
 Et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae:
 Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris
 Sub terra fovere larem, penitusque repertae
 Punicibusque cavis exesaque arboris antro.
 Tu tamen et levi rimosa cubilia limo
 Unge fovens circum, et raras superinjice frondes.
 Neu propius tectis taxum sine; neve rubentes
 Ure foco caneros; altae neu crede paludi,
 Aut ubi odor coeni gravis, aut ubi concava pulsu
 Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Apum Examen.

v. 51 — 148.

Quod superest, ubi pulsam hiemem sol aureus egit
 Sub terras, caelumque aestiva luce reclusit:
 Illae continuo saltus silvasque peragrant,
 Purpureosque metunt flores, et flumina libant
 Summa leves. Hinc, nescio qua dulcedine laetae,
 Progeniem nidosque foveat, hinc arte recentes
 Excidunt ceras, et mella tenacia fingunt.

Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera caeli
 Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen,
 Obscuramque trahi vento mirabere nubem:

Con.

Contemplator: aquas dulces et frondea semper
 Tecta petunt. Huc tu jussos adspere sapes,
 Trita melisphylla, et cerinthae ignobile gramen.
 Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum.
 Ipsae consident medicatis sedibus; ipsae
 Intima more suo sese in cunabula condent.
 Sin autem ad pugnam exierint: (nam saepe duobus
 Regibus incessit magno discordia motu)
 Continuoque animos volgi et trepidantia bello
 Corda licet longe praesciscere, namque morantes
 Martius ille aeris rauci canor increpat, et vox
 Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
 Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant,
 Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos;
 Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
 Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
 Ergo ubi ver nactae sudum camposque patentis,
 Erumpunt portis, concurritur, aethere in alto
 Fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem,
 Praecipitesque cadunt: (non densior aëre grando,
 Nec de concussa tantum pluit ilice glandis,
 Ipsi per medias acies, insignibus alis,
 Ingentes animos angusto in pectore versant,
 Usque adeo obnixa non cedere, dum gravis aut hos
 Aut hos, versa fuga victor dare terga subegit.)
 Hi motus animorum atque haec certamina tanta
 Pulveris exigui jactu compressa quiescent.
 Verum ubi ductores acie revocaveris ambos:
 Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
 Dede neci; melior vacua sine regnet in aula.
 Alter erit maculis auro squalentibus ardens;
 Nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore,
 Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
 Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
 Ut binae regum facies, ita corpora plebis.
 Namque aliae turpes horrent: ceu pulvere ab alto
 Quom venit, et sicco terram spuit ore viator,
 Aridus: elucent aliae et fulgore coruscant,
 Ardentes auro et paribus lita corpora guttis.
 Haec potior soboles: hinc caeli tempore certo
 Dulcia mella premes; nec tantum dulcisa, quantum
 Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.
 At quom incerta volant, caeloque examina ludunt:
 Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt,
 In-

Instabiles animos ludo prohibebis inani;
 Nec magnus prohibere labor. Tu regibus alas
 Eripe! Non illis quisquam cunctantibus altum
 Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
 Invitent croceis halantes floribus horti;
 Et custos furum atque avium, cum falce saligna,
 Hellespontiaci servet tutela Priapi.
 Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis,
 Tecta serat late circum, cui talia curae;
 Ipse labore manum duro terat, ipse feraces
 Figat humo plantas, et amicos irriget imbres.

Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
 Vela iraham, et terris festinem advertere proram;
 Forsitan et, pingues hortos quae cura colendi
 Ornaret, canerem, biferique rosaria Paesti;
 Quoque modo potis gauderent intuba rivis;
 Et virides apio ripae; tortusque per herbam
 Cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem
 Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi,
 Pallentesque hederas, et amantes litora myrtos.

Namque sub Oebaliae memini me turribus altis,
 Qua niger humectat flaventia culta Galaesus,
 Corycium vidisse senem; cui pauca relictis
 Jugera ruris erant: nec fertilis illa juvenis,
 Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
 Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
 Lilia, verbenasque premens, vescumque papaver,
 Regum aequabat opes animis; seraque revertens
 Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.
 Primus vere rosam, atque auctumno carpere poma;
 Et quom tristis hiems etiamnum frigore saxa
 Rumperet et glacie cursus fraenaret aquarum,
 Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi,
 Aestatem increpitans seram Zephyrosque morantes.
 Ergo apibus foetis idem atque examine multo
 Primus abundare, et spumantia cogere pressis
 Mella favis; illi tiliae, atque uberrima pinus:
 Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor
 Induerat, totidem auctumno matura tenebat.
 Ille etiam seras inversum distulit ulmos,
 Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentes,
 Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
 Verum haec ipse equidem, spatii exclusus iniquis,
 Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

Apum

Apum natura seu status politicus.

v. 149 — 221.

Nunc age, naturas apibus, quas Jupiter ipse
 Addidit, expediam: pro qua mercede, canoros
 Curetum sonitus crepitantiaque aera sequutae,
 Dictaeo caeli regem pavere sub antro.
 Solae communes gnatos, consortia tecta
 Urbis habent, magnisque agitant sub legibus aevum;
 Et patriam solae, et certos novere penates:
 Venturaeque hiemis memores, aestate laborem
 Experiuntur, et in medium quaesita reponunt.
 Namque aliae victu invigilant et foedere pacto
 Exercentur agris: pars intra septa domorum
 Narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten
 Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
 Suspendunt ceras; aliae spem gentis, adultos
 Educunt foetus: aliae purissima mella
 Stipant, et liquido distendunt nectare cellas.
 Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sortis:
 Inque vicem speculantur aquas et nubila caeli;
 Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,
 Ignavam, fucos, pecus e praesepibus arcent.
 Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
 Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina massis
 Quom properant, alii taurinis follibus auras
 Accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
 Aera lacu; gemit impositis incudibus Aetna:
 Illi inter sese magna vi brachia tollunt
 In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum:
 Non aliter, si parva licet componere magnis,
 Cecropias innatus apes amor urget habendi,
 Munere quamque suo. Grandaevus oppida curae,
 Et munire favos, et daedala fingere tecta.
 At fessae multa referunt se nocte minores:
 Crura thymo plenae: pascuntur et arbuta passim,
 Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
 Et pinguem tiliam, et ferugineos hyacinthos.
 Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
 Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
 Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
 Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;

Fit

Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
 Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
 In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
 Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt
 Longius aut credunt caelo, adventantibus Euris;
 Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur,
 Excursusque breves tentant; et saepe lapillos,
 Ut cymbae instabiles fluctu jactante saburram,
 Tollunt, his sese per inania nubila librant.
 Saepe etiam duris errando in cotibus alas
 Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere:
 Tantus amor florum, et generandi gloria mellis!

Ego ipsas quamvis angusti terminus aevi
 Excipiat neque enim plus septima ducitur aestas:
 At genus immortale manet, multosque per annos
 Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.
 Praeterea regem non sic Aegyptus et ingens
 Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
 Observant, Rege incolumi, mens omnibus una est:
 Amisso, rupere fidem; constructaque mella
 Diripuere ipsae, et crates solvere favorum.
 Ille operum custos; illum admirantur, et omnes
 Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes:
 Et saepe attollunt humeris et corpora bello
 Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

His quidam signis, atque haec exempla sequuti,
 Esse apibus partem divinae mentis et haustus
 Aetherios dixere. Deum namque ire per omnes
 Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum,
 Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum;
 Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas;
 Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
 Omnia, nec morti esse locum; sed viva volare
 Sideris in numerum, atque alto succedere caelo.

Exemptio favi. (Die Zeidelung).

v. 228—250.

Siquando sedem augustam servataque mella
 Thesauris relines; prius haustu sparsus aquarum,
 Ora fove, fumosque manu praetende sequaces.

Bis

Bis gravidos cogunt foetus, duo tempora messis:
 Taygete simul os terris ostendit honestum
 Plejas, et Oceani spretos pede repulit amnes;
 Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
 Tristior hibernas caelo descendit in undas.
 Illis ira modum supra est, laesaeque venenum
 Morsibus inspirant, et spicula caeca relinquunt
 Adfixae venis, animasque in volnere ponunt.

Sin duram metues hiemem parcesque futuro,
 Contusosque animos et res miserabere fractas,
 At suffire thymo, cerasque recidere inanes
 Quis dubitet? Nam saepe favos ignotus adedit
 Stellio et lucifugis congesta cubilia blattis;
 Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,
 Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis,
 Aut dirum, tineae, genus, aut invisae Minervae
 Laxos in foribus suspendit aranea casset.
 Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes
 Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
 Complebuntque foros, et floribus horrea texent

M o r b i A p u m.

v. 251 — 280.

Sivero, quoniam casus apibus quoque nostros
 Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo;
 Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis;
 (Continuo est aegris alius color; horrida vultum
 Deformat macies; tum corpora luce carentum
 Exportant tectis, et tristia funera ducunt.
 Aut illae pedibus connexae ad limina pendent;
 Aut intus clausis cunctantur in aedibus omnes,
 Ignavaeque fame, et contracto frigore pigrae.
 Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant:
 Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster;
 Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis;
 Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
 Hic jam galbanos suadebo incendere odores,
 Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
 Hortantem, et fessas ad pabula nota vocantem,
 Proderit et tunsum gallae admiscere saporem,

Aren-

Arentesque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel psythia passos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba.
Namque uno ingentem tollit de cespite silvam;
Aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae sublucet purpura nigrae:
Saepe deum nexis ornatae torquibus arae;
Asper in ore sapor. Tonsis in vallibus illum
Pastores et curva legunt prope flumina Mellae.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis adpone canistris.

*Artificiosa apum generatio.**v. 281 — 314.*

Sed si quem proles subito defecerit omnis,
Nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit,
Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo caesis jam saepe juvenis
Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expeditam, prima repetens ab origine, famam.
Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
Adcolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura faselis;
Quaque pharetratae vicinia Persidis urget,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis annis devexus ab Indis,
Et viridem Aegyptum nigra foecundat arena,
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.

Exiguus primum, atque ipsos contractus ad usus
Eligitur locus, hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt arctis, et quatuor addunt,
Quatuor a ventis, obliqua luce fenestras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quaeritur, huic geminae nares et spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, et ramea costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentes.

Select. Exempl. Vol. I.

T

Hoc

Hoc geritur, Zephyris primum impellentibus undas,
 Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
 Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
 Interea teneris tepefactus in ossibus humor
 Aestuat, et visenda modis animalia miris.
 Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis
 Miscentur, tenuemque magis, magis aëra carpunt:
 Donec, ut aestivis effusus nubibus imber,
 Erupere; aut ut, nervo pulsante, sagittae,
 Prima leves ineunt si quando proelia Parthi.

A R I S T A E U S I N V E N T O R .

v. 313. usque ad finem.

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
 Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
 Pastor Aristaeus, fugiens Peneia Tempe,
 Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
 Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
 Multa querens, atque hac adfatus voce parentem:
 Mater Cyrene, mater, quae gurgitis hujus
 Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum
 (Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo)
 Invisum fati genuisti? Aut quo tibi nostri
 Pulsus amor? Quid me caelum sperare jubebas?
 En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,
 Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
 Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo!
 Quin age, et ipsa manu felices erue silvas!
 Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes!
 Ure sata, et validam in vites molire bipennem:
 Tanta meae si te ceperunt taedia laudis!
 At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
 Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae
 Carpebant, Hyali saturo fucata colore:
 Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
 Caesariem effusae nitidam per candida colla;
 Nesaeae, Spioque, Thaliaque Cymodoceque;
 Cydippeque, et flava Lycorias, altera virgo:
 Altera tum primos Lucinae experta labores;

Clioque, et Beroë soror, Oceanitides ambae,
 Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae;
 Atque Ephyre, atque Opis, atque Asia Deiopea;
 Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
 Inter quas curam Clymene narrabat inanem
 Vulcani, Martisque dolos, et dulcia turta:
 Atque Chao densos divum numerabat amores.
 Carmine quo captae, dum fuis mollia pensa
 Devolvunt, iterum maternas impulit aures
 Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
 Obstupuere; sed ante alias Arethusa sorores
 Prospiciens, summa flavum caput extulit unda,
 Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,
 Cyrene soror; ipse tibi, tua maxima cura,
 Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
 Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.

Huic perculsa nova mentem formidine mater:
 Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divum
 Tangere! ait. Simul alta jubet discedere late
 Flumina, qua juvenis gressus inferret. At illum
 Curvata in montis faciem circumstetit unda,
 Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
 Jamque domum mirans genitricis, et humida regna,
 Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes,
 Ibat; et ingenti motu stupefactus aquarum,
 Omnia sub magna labentia flumina terra
 Spectabat diversa locis, Phasinque, Lycumque,
 Et caput unde altus primum se erumpit Enipeus,
 Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
 Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,
 Et gemina auratus taurino cornua vultu
 Eridanus, quo non alius per pingua culta
 In mare purpureum violentior effluit amnis.

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
 Perventum, et gnati fletus cognovit inanes
 Cyrene; manibus liquidos dant ordine fontes
 Germanae, tonsisque ferunt mantilia villis:
 Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt
 Pocula: Panchaeis adolescunt ignibus arae.
 Et mater: Cape Maeonii carchesia Bacchi;
 Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
 Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,
 Centum quae silvas, centum quae flumina servant.
 Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam;

Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit,
 Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:
 Est in Carpathio Neptuni gurgite vates,
 Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
 Et juncto bipedum curru metitur equorum.
 Hic nunc Emathiae portus, patriamque revisit
 Pallenen. Hunc et Nymphae veneramur, et ipse
 Grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,
 Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.
 Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus
 Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.
 Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
 Expediat morbi causam, eventusque secundet.
 Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
 Orando flectes: vim duram et vincula capto
 Tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
 Ipsa ego te, medios quom sol accenderit aestus,
 Quom sitiunt herbae, et pecori jam gratior umbra est,
 In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
 Se recipit; facile ut somno adgrediare jacentem.
 Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
 Tum variae eludent species, atque ora ferarum.
 Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
 Squamosusque draco, et fulva cervice leaena;
 Aut acrem flammae sonitum dabit, atque ita vinclis
 Excidet; aut in aquas tenues dilapsus abibit,
 Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,
 Tanto, nate, magis contende tenacia vincla;
 Donec talis erit mutato corpore, qualem
 Videris, incepto tegeter quom lumina somno.
 Haec ait, et liquidum ambrosiae defundit odo-
 rem;

Quo totum nati corpus perduxit. At illi
 Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
 Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
 Exesi latere in montis, quo plurima vento
 Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos:
 Deprensus olim statio tutissima nautis:
 Intus se vasti Proteus tegit objice saxi.
 Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha
 Collocat: ipsa procul nebulis obscura resistit,
 Jam rapidus, torrens sitientes Sirius Indos,
 Ardebat caelo, et medium sol igneus orbem
 Hauserat; arebant herbae, et cava flumina siccis
 Fau-

Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
 Quom Proteus consueta petens e fluctibus antra
 Ibat. Eum vasti circum gens humida ponti
 Exsultans rorem late dispersit amarum.
 Sternunt se somno diversae in litore phocae.
 Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
 Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reduxit,
 Auditisque lupos acuunt balatibus agni:
 Consedit scopulo medius, numerumque recenset.
 Cujus Aristaeo quoniam est oblata facultas,
 Vix defessa senem passus componere membra,
 Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
 Occupat. Ille, suae contra non immemor artis
 Omnia transformat sese in miracula rerum,
 Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquen-
 tem.

Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
 In sese redit, atque hominis tandem ore loquutus:
 Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
 Jussit adire domus? Quidve hinc petis? inquit. At
 ille:

Scis Proteu, scis ipse: neque est te fallere quoisquam;
 Sed tu desine velle! Deum praecepta sequuti
 Venimus huc, lapsis quaesitum oracula rebus.
 Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa,
 Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
 Et, graviter frendens, sic fatis ora resolvit:

Non te nullius exercent numinis irae!
 Magna luis commissa! Tibi has miserabilis Orpheus,
 Haud quaquam ob meritum, poenas, ni fata resistant,
 Suscitavit; et rapta graviter pro conjuge saevit.
 Illa quidem, dum te fugeret per flumina praiceps,
 Immanem ante pedes hydrum, moritura puella!
 Servantem ripas alta non videt in herba.
 At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
 Implerunt montes; sterunt Rhodopeiae arces,
 Altaque Pangaea, et Rhesi Mavortia tellus,
 Atque Getae, atque Hebrus, atque Actias Orithyia
 Ipse cava solans aegrum testudine amorem,
 Te, dulcis conjux, te solo in litore secum,
 Te veniente die, te decedente canebat.
 Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
 Et caligantem nigra formidine lucum
 Ingressus, manesque adiit, regemque tremendum.

Nesciaque humanis precibus mansuescere corda,
 At cantu commotae Erebi de sedibus imis
 Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum:
 Quam multa in foliis avium se millia condunt,
 Vesper ubi, aut hibernus agit de montibus imber:
 Matres atque viri, defunctaque corpora vita
 Magnanimùm heroum, pueri innuptaeque puellae,
 Impositique rogis juvenes ante ora parentum;
 Quos circum limus niger, et deformis arundo
 Cocyti, tarda que palus innabilis unda
 Adligat, et novies Styx interfusa coërcet.
 Quin ipsae stupere domus, atque intima leti
 Tartara, caeruleosque implexae crinibus angues
 Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
 Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
 Jamque pedem referens casus evaserat omnes,
 Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
 Pone sequens: namque hanc dederat Proserpina le-
 gem:

Quom subita incautum dementia cepit amantem,
 Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes.
 Restitit, Eurydicenque suam, jam luce sub ipsa,
 Immemor, heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
 Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
 Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
 Illa, quis et me, inquit, miseram et te perdidit,
 Orpheu?

Quis tantus furor? En iterum crudelia retro
 Fata vocant, conditque natantia lumina somnus!
 Jamque vale! Feror ingenti circumdata nocte,
 Invalidasque tibi tendens, heu! non tua, palmas!
 Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
 Commixtus tenues, fugit diversa: neque illum
 Prensantem nequidquam umbras et multa volentem
 Dicere, praeterea vidit; nec portitor Orci
 Amplius objectam passus transire paludem.
 Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
 Quo fletu manes, qua numina voce moveret?
 Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba!
 Septem illum totos perhibent ex ordine menses
 Rupe sub aëria, deserti ad Strymonis undam,
 Flevisse, et gelidis haec evolvisse sub antris,
 Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus:
 Qualis populea moerens Philomela sub umbra

Amissos queritur foetus, quos durus arator
 Observans nido implumes detraxit; at illa
 Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
 Integrat, et moestis late loca questibus implet.
 Nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenaei.
 Solus hyberboreas glacies, Tanaimque nivalem,
 Arvaque Ripaeis numquam viduata pruinis
 Lustrabat, raptam Euridicen, atque irrita Ditis
 Dona querens. Spretae Ciconum quo munere matres,
 Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi,
 Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
 Tum quoque marmorea caput a cervice revolsum
 Gurgite quom medio portans Oeagrius Hebrus
 Volveret, Eurydicen nox ipsa et frigida lingua,
 Ah miseram Eurydicen! anima fugiente, vocabat:
 Eurydicen toto referebant flumine ripae.

Haec Proteus; et se jactu dedit aequor in altum:
 Quaque dedit, spumantem undam sub vortice torsit.
 At non Cyrene; namque ultro adfata timentem:
 Nate, licet tristes animo deponere curas.
 Haec omnis morbi causa: hinc miserabile Nymphae,
 Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
 Exitium misere apibus. Tu munera supplex
 Tende, petens pacem, et faciles venerare Napaeas:
 Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
 Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
 Quatuor eximios praestanti corpore tauros,
 Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,
 Delige, et intacta totidem cervice juvencas.
 Quatuor his aras alta ad delubra dearum
 Constitue, et sacrum jugulis demitte cruorem;
 Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
 Post, ubi nona suos aurora ostenderit ortus
 Inferias Orphei lethaea papavera mittes,
 Et nigram mactabis ovem, lucumque revisens
 Placatam Euridicen vitula venerabere caesa.

Haud mora, continuo matris praecepta facessit;
 Ad delubra venit, monstratas excitat aras;
 Quatuor eximios praestanti corpore tauros
 Ducit, et intacta totidem cervice juvencas.
 Post, ubi nona suos aurora induxerat ortus,
 Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
 Hic vero, subitum ac dictu mirabile monstrum,
 Adspiciunt liquefacta boum per viscera toto

Stridere apes utero, et ruptis effervere costis:
Immensasque trahi nubes; jamque arbore summa
Confluere, et lentis avam demittere ramis.

Conclusio operis.

Haec super arborum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque adfectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otii;
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juvenata,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

VII. *Satyræ.*

Ex Quinto Horatio Flacco.

Libri I. *Satyra i.*

Qui sit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus Austris:
Militia est potior! Quid enim? concurritur: horae
Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi,
Quo rem deducam, si quis deus. *En ego, dicat.*

Jam

*Jam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus; hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eja,
Quid statis? Nolunt. Atqui, licet esse beatis,
Quid causae est; merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inplet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?*

*Praeterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram: (quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima:)
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.*

*Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautaeque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Ajunt, quum sibi sint congesta cibaria: Sicut
Parvula, nam exemplo est, magni formica laboris
Ore trahit, quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.*

*Quae, simul inversum contristat Aquarius annum
Non usquam prorepat, et illis utitur ante
Quaesitis sapiens; quum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi: dum ne sit te ditior alter.*

*Quid juvat immensum te argenti pondus, et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum;
Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus: ut, si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referas intra
Naturae fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? *At suave est ex magno tollere acervo.*
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquis,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas: *Magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere.* Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quantum est opus: is neque limo*

Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
 At bona pars hominum decēpta cupidine falso:
Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.
 Quid facias illi? Jubeas miserum esse, libenter
 Quatenus id facit. Ut quidam memoratur Athenis
 Sordidus ac dives populi contemnere voces
 Sic solitus: *Populus me sibilat, at mihi plaudo*
Ipse domi, simul ac nummos contemtor in arca.
 Tantalus a labris sitiens fugientia captat
 Flumina. Quid rides? mutato momine, de te
 Fabula narratur. Congestis undique saccis
 Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
 Cogere aut pictis tamquam gaudere tabellis.
 Nescis, quo valeat nummus? quem praebat usum?
 Panis ematur, olus, vini sextarius: adde
 Queis humana sibi doleat natura negatis.
 An vigilare metu exanimem, noctesque, diesque
 Formidare malos fures, incendia, servos,
 Ne te compilent fugientes, hoc juvat? Horum
 Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te adfixit; habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac reddat gratis, carisque propinquis?
 Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
 Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellae.
 Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
 Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
 At si cognatos nullo natura labore
 Quos tibi dat, retinere velis, servareque amicos,
 Infelix operam perdas: ut si quis asellum
 In campo doceat parentem currere frenis.
 Denique sit finis quaerendi: quumque habeas plus,
 Pauperiem metuas minus; et finire laborem
 Incipias, parto, quod avebas: nec facias, quod
 Ummidius quidam, non longa est fabula, dives,
 Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se
 Non umquam servo melius vestiret: ad usque
 Supremum tempus, ne se penuria victus
 Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
 Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
Quid mi igitur suades? Ut vivam Maenius? aut sic
Ut Nomentanus? Pergis pugnancia secum
 Frontibus adversis componere. Non ego avarum
 Quum

Quum veto te fieri: vappam jubeo aut nebulonem.
 Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli;
 Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
 Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
 Illuc, unde abii, redeo. Nemon', ut avarus,
 Se probet, ac potius laudet diversa sequentes?
 Quodque aliena capellaj gerat distentius uber,
 Tabescat? neque se majori pauperiorum
 Turbae comparet? hunc atque hunc superare laboret?
 Sic festinanti semper locupletior obstat:
 Ut quum carceribus missos rapit ungula currus,
 Instat equis auriga suos vincentibus, illum
 Praeteritum temnens extremos inter euntem.
 Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
 Dicat, et exacto contentus tempore vitae,
 Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
 Jam satis est: ne me Crispini scrinia lippi
 Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Libri 1. Satyra 3.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
 Ut numquam inducant animum cantare rogati:
 Injussi numquam desistant. Sardus habebat
 Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
 Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
 Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
 Usque ad mala citaret, *Io Baeche*, modo summa
 Voce, modo hac, resonat quae chordis quatuor, ima.
 Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
 Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
 Junonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
 Saepe decem seryos; modo reges atque tetrarchas;
 Omnia magna loquens: modo, *sit mihi mensa tripes, et*
Concha salis puri, et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses
 Huic parco, paucis contento: quinque diebus
 Nil erat in oculis. Noctes vigilabat ad ipsum
 Mane, diem totum stertebat. Nil fuit umquam
 Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: *Quid tu?*
Nullane habes vitia! Imo alia, et fortasse minora.
 Maenius absentem Novium quum carperet: *Heus tu,*
 Qui-

Quidam ait: *Ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mi ignosco*, Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.
Quum tua provideas oculis mala lippus inunctis:
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi
contra

Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paullo? minus aptus acutis
Naribus horum hominum? rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit, et male laxus
In pede calceus haeret? At est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus; at ingenium
ingens

Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute: num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur: amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut gnati, sic non debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Adpellat *paetum* pater, *pullum*, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc *varum* distortis cruribus: illum
Balbutit *scaurum*, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit? *frugi* dicatur; ineptus,
Et jactantior hic paulo est? *concinnus amicis*
Postulat ut videatur: at est truculentior, atque
Plus aequo liber? *simplex fortisque habeatur*;
Caldior est? *acres inter numeretur*. Opinor,
Haec res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? *multum est demissus homo*; *illi*
Tardo cognomen *pinguis* damus: hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum:
Quum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi carmina: pro bene sano
Ac non incauto? *fictum astutumque* vocamus.
Simplicior quis, et est, qualem me saepe libenter

Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem,
Aut tacitum impellat quovis sermone? *Molestus!*
Communi sensu plane caret! inquit. Eheu
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
Quum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce
(Si modo plura mihi bona sunt) inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem,
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius. Aequum est
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.
Denique quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera idem nequeunt stultis haerentia: cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quaeque est, ita supplicii delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces tepidumque ligurierit jus,
In cruce suffigat, Labione insanior inter
Sanos dicatur: quanto hoc furiosius atque
Majus peccatum est! Paullum deliquit amicus,
Quod nisi concedas: habere insuavis, acerbus;
Odisti, et fugis, ut Rusonem debitor aeris;
Qui, nisi, quum tristes misero venere Calendae
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Foedavit lectum potus, mensave catillum
Evandri manibus tritum dejecit. Ob hanc rem
Aut positum ante meâ quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens; minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit? aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit;
Queis paria esse fere placuit peccata. laborant,
Quum ventum ad verum est, sensus, moresque re-
pugnant,
Atque ipsa utilitas justî prope mater et aequi.
Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnâ, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere. Dehinc absistere bello,
Oppida ceperunt muniri et ponere leges:
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

Nam

Nam fuit ante Helenam mulier teterrima belli
 Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi.
 Jura inventa metu injusti, fateare necesse est,
 Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
 Nec natura potest justo secernere iniquum,
 Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
 Nec vincet ratio hoc: tantundem ut peccet idemque,
 Qui teneros caules alieni fregerit horti,
 Et qui sacra deum nocturnus legerit. Adsit
 Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
 Ne scutica dignum, horribili sectere flagello.
 Nam ut ferula caedas meritum majora subire
 Verbera non vereor; quum dicas esse pares res
 Furta latrocinii, et magnis parva mineris
 Nalce recisurum simili te: si tibi regnum
 Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
 Et sutor bonus et solus formosus, et est rex,
 Cur optas, quod habes? *non nosti, quid pater*, inquit,
Chrysippus dicat; sapiens crepidas sibi numquam,
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens. Qui?
Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator, ut Alphenus vaser, omni
Abjecto instrumento artis, clausaque taberna,
Tonsor erat, sapiens sic optimus omnis
Est opifex, sic rex solus. Vellunt tibi barbam
 Lascivi pueri, quos tu ni fuste coerces,
 Urgeris turba circum te stante, miserque
 Rumperis, et latras magnorum maxime regum.
 Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
 Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
 Praeter Crispinum, sectabitur: et mihi dulces
 Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici;
 Inque vicem illorum patiar delicta libenter;
 Privatusque magis vivam te rege beatus.

Libri I. Satyra 9.

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
 Nescio quid meditans nugarum, et totus in illis.
 Occurrit quidam notus mihi nomine tantum,
 Adreptaque manu: *G. Quid agis dulcissime rerum?*
H. Suaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia, quae vis.
 Quum

Quum adsectaretur; Num quid vis? occupo. At ille:
*Noris nos, inquit, docti sumus. Hic ego: Pluris
 Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens,
 Ire modo ocys, interdum consistere, in aurem
 Dicere nescio quid puero; quum sudor ad imos
 Manaret talos: O te, Bollane, cerebri
 Felicem, ajebam tacitus. Quum quidlibet ille
 Garriret, vicos, urbem laudaret; ut illi
 Nil respondebam: G. Misere cupis, inquit, abire,
 Jam dudum video, sed nil agis, usque tenebo,
 Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi? H. Nil opus est te
 Circumagi: quemdam volo visere, non tibi notum:
 Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.
 G. Nil habeo, quod agam, et non sum piger; usque se-
 quar te.*

Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
 Quum gravius dorso subiit onus. Incipit ille;
*Si bene me novi, non Viscum plaris amicum,
 Non Varium facies; nam quis me scribere plures,
 Aut citius possit versus? quis membra movere
 Mollius? Invideat, quod et Hermogenes, ego canto.
 Interpellandi locus hic erat. H. Est tibi mater,
 Cognati, queis te salvo est opus? G. Haud mihi quisquam:
 Omnes composui. Felices! nunc ego resto:*

Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
 Quod puero cecinit, mota divina anus urna:
*Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
 Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
 Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,
 Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit actas.*

Ventum erat ad Vestae, quarta jam parte diei
 Praeterita, et casu tunc respondere vadato
 Debebat: quod ni fecisset, perdere litem.
*Si me amas, inquit, paullum hic ades. H. Inteream, si
 Aut valco stare, aut novi civilia jura:
 Et propero, quo scis G. Dubius sum, quid faciam, inquit;
 Tene relinquam, an rem? H. Me, sodes G. Non faciam,
 ille;*

Et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum est
 Cum victore, sequor. G. Maccenas quomodo tecum?
 Hinc repetit. H. Paucorum hominum, et mentis bene
 sanae;

*Nemo dexterius fortuna est usus. G. Haberes
 Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
 Hunc*

*Hunc hominem velles si traderem, dispeream, ni
Submosses omnes. H. Non isto vivimus. illic,
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis. Nil mihi officit unquam,
Ditior hic, aut est quia doctior; est locus uni-
Cuique suus. G. Magnum narras, vix credibile H. Atqui
Sic habet. G. Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse. H. Velis tantummodo, quae tua virtus,
Expugnabis: et est, qui vinci possit: eoque
Difficiles aditus primos habet. G. haud mihi dcero;
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram:
Occurram in triviis, deducam; nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit: ecce
Fuscus Aristius occurrit mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus: Unde venis? et
Quo tendis? rogat, et respondet. Vellere coepi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare, meum jecur urere bilis.
H. Certe nescio quid secreto velle loqui te
Ajebas mecum. A. minime bene; sed meliori
Tempore dicam; hodie tricesima sabbata: vin' tu
Curtis Judaeis oppedere? H. Nulla mihi, inquam,
Religio est. A. At mi: sum paullo infirmior, unus
Multorum ignosces, alias loquar. Huccine solem
Tum nigrum surrexe mihi? Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius, et: Quo tu turpissime? magna
Inclamat voce; et licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus: clamor utrinque,
Undique concursus: sic me servavit Apollo.*

Libri II. Satyra 2.

*Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus,
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva,)
Discite non inter lances mensasque nitentes,
Quum stupet insanis acies fulgoribus, et quum
Adclinis falsis animus, meliora recusat:
Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc?*

Di-

Dicam, si potero; male verum examinat omnis
 Corruptus iudex; leporem sectatus, equove
 Lassus ab indomito, vel si Romana fatigat
 Militia adsuetum graecari seu pila velox,
 Molliter austerum studio fallente laborem,
 Seu te discus agit; pete cedentem aëra disco:
 Quum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
 Sperne cibum vilem: nisi hymettia mella falerno
 Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
 Defendens pisces hiemat mare: cum sale panis
 Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas, aut
 Qui partum? Non in caro nidore voluptas
 Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere
 Sudando; pinguem vitiiis albumque nec ostrea,
 Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois a)
 Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
 Hoc potius, quam gallina tergere palatum,
 Corruptus vanis rerum: quia veneat auro
 Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:
 Tamquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris
 ista,

Quam laudas, pluma? coctove num adest honoridem?
 Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,
 Imparibus formis deceptum te patet: Esto:
 Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus in alto
 Captus hiet, pontesne inter jactatus, an amnis
 Ostia sub Tusci? laudas, insane, trilibrem
 Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse
 est.

Ducit te species, video. Quo pertinet ergo
 Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
 Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
 Jejunos stomachus raro vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait harpyus gula digna rapacibus. At vos,
 Praesentes Austri, coquite horum obsonia! quamvis
 Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
 Aegrum sollicitat stomachum: quum crapula plenus
 Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
 Pauperies epulis regum; nam vilibus ovis,
 Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
 Galloni praeconis erat acipensere mensa
 Infamis. Quid, tum rhombos minus aequor alebat?
 Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,

Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo
 Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
 Parebit pravi docilis Romana juvenus.
 Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
 Judice. Nam frustra vitium vitaveris illud,
 Si te alio pravus detorseris. Avidienus,
 Cui *Canis* ex vero ductum cognomen adhaeret,
 Quinquennes oleas est, et silvestria corna;
 Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et
 Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
 Ille repotia, natales aliosve dierum
 Festos albatu celebret) cornu ipse bilibri
 Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
*Quali igitur victu sapiens utetur? et horum
 Utrum imitabitur? hac urget lupo, hac canis,* ajunt.
 Mundus erit, qui non offendet sordidus, atque
 In neutram partem cultus miser; hic neque servis,
 Albuci senis exemplo, dum munia dicit,
 Saevus erit: neque, sicut simplex Naevius, unctam
 Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
 Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
 Adferat. In primis valeas bene; nam variae res
 Ut noceant homini, credas, memor illius escae:
 Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
 Miscueris elixa, simul conchyliis turdis;
 Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
 Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
 Coena desurgat dubia? quin corpus onustum
 Hesternis vitis animum quoque praegravat una,
 Atque adfligit humo divinae particulam aerae.
 Alter, ubi dicto citius curata sopori
 Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
 Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
 Sive diem festum rediens advexerit annus,
 Seu recreare volet tenuatum corpus: ubi ve
 Accedent anni, et tractari mollius aetas
 Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
 Quam puer et validus praesumis, molliem: seu
 Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
 Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus
 Illis nullus erat, sed credo, hac mente, quod hospes
 Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
 Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
 Heroas natum tellus me prima tulisset!

Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
 Occupat humanam? Grandes rhombi patinaeque
 Grande ferunt una cum damno dedecus; adde
 Iratum patrum, vicinos, te tibi iniquum;
 Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
 As, laquei pretium. *Jure*, inquis, *Trausius istis*
Jurgatur verbis; ego vectigalia magna,
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo
 Quod superat, non est melius, quo insumere possis?
 Cur eget indignus quisquam, te divite? Quare
 Templata ruunt antiqua deum? Cur, improbe, carae
 Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
 Uni, nimirum tibi recte semper erunt res?
 O magnus posthac inimicis risus! Uterne
 Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
 Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum:
 An qui contentus parvo, metuensque futuri,
 In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
 Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum
 Integris opibus novi non latius usum,
 Quam nunc accisis. Videas metato *b)* in agello
 Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum:
 Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
 Quidquam, praeter olus, fumosae cum pede pernae.
 Ac, mihi quum longum post tempus venerat hospes,
 Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
 Vicinus: bene erat, non piscibus urbe petitis,
 Sed pullo atque hoedo; tum pensilis uva secundas
 Et nux ornabat mensas, cum duplici ficu.
 Post hoc ludus erat culpa *c)* potare magistra:
 Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto;
 Explicuit vino contractae seria frontis.
 Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus,
 Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut
 vos,
 O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
 Nam propriae telluris herum natura neque illum,
 Nec me, nec quemquam statuit. Nos expulit ille:
 Illum aut nequities aut vafri inscitia juris:
 Postremo expellet certe vivacior heres.
 Nunc ager umbreni sub nomine, nuper Ofelli
 Dictus erat, nulli proprius, sed cedit in usum
 Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
 Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

- a) *Lagois*, idem quod *Logopus*, Birkhuhn: rhombus Weer-
bütte.
b) *Metatus agellus*, per divisionem agrorum sub Octaviano et
Antonio agri imminuti sunt.
c) *Culpa magistra*, videtur indicare lusum aliquem rusticum,
quo ille, qui errarat, ad luendam quasi culpam bibere debebat;
alii legunt: *cupa magistra*.

Ex Aulo Persio Flacco.

Satyra 3. a)

Nempe haec adsidue? Jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas:
Sertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea b) tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Jamdudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est.
Unus ait comitum: *verumne? itane? ocius adsit*
Huc aliquis: nemon'? turgescit vitrea bilis:
Findor: ut Arcadiae pecuaria rudere credas.
Jam liber, et bicolor positis membrana c) capillis,
Inque manus chartae, nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, *crassus calamo quod pendeat humor,*
Nigra quod infusa vanescat saepia lympha,
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque columbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammae lallare recusas?
An tali studeam calamo? Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens:
Contemnere; sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum est, nunc, nunc properandus et acri
Fingendus sine fine rota: *sed rure paterno*
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum
Quid metuas? cultrisque foci secunda patella est.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmata quod Tusco ramum millesimo ducis,
Censoremne tuum vel quod trabeate d) salutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, et in cute novi
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae e)?
Sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa; nescit quid perdat? et alto

Demersus, summa rursus non bullit in unda.
 Magne pater divum, saevos punire tyrannos *f*)
 Haud alia ratione velis, quum dira libido
 Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
 Virtutem videant, intabescantque relicta.
 Anne magis siculi gemuerunt aera juvenci,
 Et magis auratis pendens laquearibus ensis,
 Purpureas subter cervices *g*) terruit: imus,
 Imus praecipites: quam si sibi dicat: et intus
 Palleat infelix quod proxima nesciat uxor?
 Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo *h*),
 Grandia si nollem morituri verba Catonis
 Dicere, non sano multum laudanda magistro,
 Quae pater adductis sudans audiret amicis.
 Jure etenim id summum, quid dexter senio *i*) ferret,
 Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
 Raderet, angustae collo non fallier orcae;
 Neu quis callidior buxum torquere flagello.
 Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
 Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis
 Porticus *k*): insomnis quibus et detonsa juvenus
 Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta *l*).
 Et tibi quae Samios diduxit litera *m*) ramos,
 Surgentem dextro monstravit limite callem.
 Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
 Oscitat hesternum, dissutis undique malis.
 Est aliquid, quo tendis, et in quod dirigis arcum?
 An passim sequeris corvos testaque lutoque,
 Securus, quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
 Helleborum frustra, quum jam cutis aegra tumebit,
 Poscentes videas; venienti occurrite morbo.
 Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
 Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
 Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
 Quis datus, aut metae quam mollis flexus, et unde?
 Quis modus argento; quid fas optare; quid asper
 Utile nummus habet; patriae carisque propinquis
 Quantum largiri deceat, quem te deus esse
 Jussit, et humana qua parte locatus es in re?
 Disce *n*): nec invidias, quod multa fidelia putet
 In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
 Et piper et pernae, Marsi monumenta clientis;
 Maenaque quod prima nondum defecerit orca.
 Heic aliquis de gente hircosa *o*) Centurionum

Dicat: Quod sapio, satis est mihi: non ego curo
 Esse, quod Arcesilas, arumnosique Solones,
 Obstipo capite, et figentes lumine terram,
 Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt,
 Atque exporrecto trutinantur verba labello,
 Aegroti veteris meditantés somnia: gigni
 De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
 Hoc est, quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.
 His populus ridet, multumque torosa juvenus
 Ingeminat tremulus naso crispante cachinnos.
 Inspice p): nescio quid trepidat mihi pectus, et aegris
 Faucibus exsuperat gravis halitus, inspice, sodes:
 Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
 Tertia compositas vidit nox currere venas,
 De majore domo, modice sitiēte lagena,
 Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
 Heus bene, tu palles. Nihil est. Videas tamen istud,
 Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
 At tu deterius palles: ne sis mihi tutor.
 Jampridem hunc sepeli: tu restas. Perge, tacebo.
 Turgidis hic epulis, atque albo ventre lavatur,
 Guttire sulphureas lente exhalante mephites.
 Sed tremor inter vina subit, calidumque triental
 Excudit e manibus, dentes crepuere relecti,
 Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
 Hinc tuba, candelae; tandemque beatus alto
 Compositus lecto, crassisque lutatus amomis:
 In portam rigidos calces extendit: at illum
 Hesterni capite induto subiere Quirites q),
 Tange, miser, venas, et pone in pectore dextram,
 Nil calet hic: summosque pedes attinge manusque,
 Non frigent r). Visa est si forte pecunia opesque,
 Cor tibi rite salit? Positum est argente catino
 Durum olus, et populi cribro decussa farina,
 Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
 Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
 Alges, quum excussit membris timor albus aristas:
 Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
 Scintillant oculi, dicisque, facisque quod ipse,
 Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

a) Hac satyra paedagogica invehitur Persius in sui aevi juvenes.
 qui otio dediti, studia exosi, generosa stirpe superbientes et
 elati, moribus erant perditissimis. Persona loquens est philo-

- sophus, juvenum praeceptor et moderator domesticus. Verba interloquentium literis, quas dicunt, cursoriis expressimus.
- b) *Linea quinta*, est apud nos hora sexta matutina. Turpe ipsis visum erat, in diem stertere. *Turpis*, ait Seneca epist. 122, *qui alto sole semisomnis jacet: cujus vigilla medio die incipit: et adhuc multis hoc antelucanum est.*
- c) *Membranae*, interiore parte erant albae, exteriore colore plerumque rubro tinctae.
- d) Hoc est, quia *eques es*: trabea enim erat equitum. *Decetne inflari, quia stemmate Tusco genus millesimo ramo deducis* (1000 Ahnen zählst) vel quia ordinis equestris es?
- e) *Natta*, nomen proprium pro quovis homine nequam. Togam disinctam habere turpe erat Romanis.
- f) Saltus vere lyricus. Errores suos agnoscere, eosque non emendare, virtutem videre, eamque relinquere; omnium poenarum maxima est.
- g) Allusio ad Phalaridis taurum, et Damoclem (Cic. quest. Tuscul. 5. 20. 21).
- h) *Saepius oculis inunxi olivo, ut morbi excusationem haberem, et exercitiis oratoriis in schola me subducerem.* In ejusmodi exercitiis declamatoriis inter cetera themata et illud erat: *Quid et quomodo Cato ante, quam moreretur, loquutus est?* Solebant vero praeceptores hujusmodi exercitia declamatoria discipulorum suorum extollere, et plurimum commendare parentibus, qui, partim gaudio, partim sollicito timore sudantes, audiebant cum invitatis amicis declamantes.
- i) Quum alea ita cadebat, ut eam partem, cui sex puncta insunt, exhiberet: dicebatur *senlo*, qui lucrum parabat; quum utraque alea eandem partem exhibebat: dicebatur *canis*: qui perdebat, seu damnosus erat. Alius erat graecorum lusus. *τροπα* dictus, quum vel nuces vel lapillos in urceolum injectos agitabant. *Buxum torquere*, trochus (den Kreisel treiben) lusus vel hodie adhuc pueris de trivio notus. Jam ita Persius infert: *Natta, quam nequam sit, nescit: vos vero, sapientum discipuli, nostis curvos seu perversos mores etc.*
- k) *Stoa*, in qua victoria de Persis reportata depicta erat.
- l) Victus et cultus stoicorum. *Siliquae*, victus tenuissimus (Hülsenfrüchte, oder Schotten und Schalen der Hülsenfrüchte) *Polenta* (Brot aus geschrotener Gerste) victus pauperum.
- m) *Litera Pythagorae Samii* est Graecorum Y. Humanæ vitæ cursum dicebant Y literæ esse similem; quod unusquisque hominum, quum primæ adolescentiæ limen attigerit, et in eum locum venerit, partes ubi se via findit in ambas, hæreat nutabundus.
- n) *Disce, o juvenis, quid deceat, et noli invidere illis, qui summum bonum in divitiis et rerum copia positum putant.*
- o) *Hircosus*, i. e. sordidus (ungehobelt, schmutzig).
- p) *Philosophia est una medicina, quæ aegro animo medetur. Noli eam negligere, ne idem tibi accidat, quod aegroto acciderat, qui spreto medici consilio misere periit.*
- q) *Cadaver compositum*, h. e. ablutum, unctum, et vestibus

ornatum Romani ponebant in lecto alto (Paradebett) pedibus versus portam extensis; et *hesterni cives*, h. e. servi libertate donati (*induto capite* mit der Freyheitsmütze auf dem Kopfe) funus comitabantur.

r) *Haec comparatio*, inquit juvenis renitens, *in me minime quadrat. Equidem sanus sum.* Corpore quidem, respondet poëta, sanus, animo tamen insanus es.

Ex Decio Junio Juvenale.

Satyra 8.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longe
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, et stantes in curribus Aemilianos,
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?
Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius a) lare, si cupidus, si
Vanus, et Euganea quantumvis mollior agna?
Si tenerum attritus Catinensi b) pumice lumbum
Squalentes traducit avos, emtorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi te consule virgas:
Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi,
Justitiaeque tenax factis dictisque mereris?
Agnosco procerem. Salve Getulice, seu tu
Silanus, quocumque alio de sanguine rarus
Civis, et egregius patriae contingis ovanti:
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri c)
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et praeclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cujusdam *Atlanta* vocamus,
Aethiopem *cygnum*, pravam extortamque puellam

Europen; canibus pigris scabieque vetusta
 Laevibus et siccae lambentibus ora lucernae,
 Nomen erit *pardus*, *tigris*, *leo*; si quid adhuc est,
 Quod fremat in terris violentius: ergo cavebis,
 Et metues, ne tu sic Creticus aut Camerinus.
 Hic ego quem monui? Tecum est mihi sermo, Rubelli
 Plaute. Tumes alto Drusorum stemmate, tamquam
 Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
 Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli d)
 Non quae ventoso conducta sub aggere textit.
 Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
 Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
 Ast ego *Cecropides*. Vivas, et originis hujus
 Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
 Facundum invenies; solet hic defendere causas
 Nobilis indocti; veniet de plebe togata,
 Qui juris nodos et legum aenigmata solvat.
 Hic petit Euphratem juvenis, domitique Batavi
 Custodes aquilas, armis industrius: at tu
 Nil nisi *Cecropides* truncoque simillimus *Hermae*.
 Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
 Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
 Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
 Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
 Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
 Fervet, et exsultat rauco victoria circo;
 Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
 Clara fuga ante alios, et primus in aequore pulvis:
 Sed venale pecus *Corythae e)*, posteritas et
 Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
 Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
 Umbrarum, dominos pretiis mutare jubentur
 Exiguus: tritoque trahunt epirhedia collo
 Segnipedes, dignique molam versare *Nepotis*.
 Ergo, ut mirentur te, non tua: primum aliquid da,
 Quod possim titulis incidere praeter honores,
 Quos illis damus et dedimus, quibus omnia debes.
 Haec satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
 Tradit, et inflatum plenumque *Nerone* propinquo.
 Rarus enim ferme sensus communis in illa
 Fortuna. Sed te censi laude tuorum,
 Pontice, noluerim, sit ut nihil ipse futurae
 Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famae,
 Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.

Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
 Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
 Integer; ambiguae si quando citabere testis
 Incertaeque rei. Phalaris licet imperet, ut sis
 Falsus, et admoto dictet perjuriam tauro:
 Summum crede nefas animam praeferre pudori,
 Et propter vitam vivendi perdere causas.
 Dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
 Gaurana, et Cosmi toto mergatur aëno.
 Expectata diu tandem provincia quum te
 Rectorem accipiet; pone irae fraena modumque,
 Pone et avaritiae; miserere inopum sociorum.
 Ossa vides regum vacuis exsucca medullis.
 Respice quid moneant leges, quid curia mandet;
 Praemia quanta bonos maneat; quam fulmine justo
 Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,
 Piratae Cilicum. Sed quid damnatio confert,
 Cum Pausa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
 Praeconem, Chaerippe, tuis circumspice pannis,
 Jamque tace. Furor est post omnia perdere naulum *fi.*
 Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par
 Damnorum, sociis florentibus et modo victis.
 Plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus
 Nummorum, Spartana chlamys, conchyliis Coa:
 Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
 Phidiacum videbat ebur, nec non Polycleti
 Multus ubique labor: rarae sine Mentore mensae.
 Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
 Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
 Occulta spolia, et plures de pace triumphos.
 Nunc sociis juga pauca bouum, rex parvus equarum,
 Et pater armenti capto eripiatur agello;
 Ipse inde lares, si quod spectabile signum.
 Si quis in aedicula decus unicus: haec etenim sunt
 Pro summis; nam sunt haec maxima. Despicias tu
 Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthum:
 Despicias merito. Quid resinata juvenus,
 Cruraque totius facient tibi laevia gentis?
 Horrida vitanda est Hispania; Gallicus axis,
 Illyricumque latus, parce et messoribus illis,
 Qui saturant urbem, circo scenaeque vacantem,
 Quanta autem inde feres tam dirae praemia culpa,
 Quum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
 Curandum in primis, ne magna injuria fiat

Fortibus et miseris; tollas licet omne, quod usquam est
 Auri atque argenti, scutum gladiumque relinques
 Et jacula et galeam; spoliatis arma supersunt.
 Quod modo proposui, non est sententia, verum est.
 Credite me vobis folium recitare Sibyllae.
 Sit tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
 Vendit acersecomes, si nullum in conjugè crimen,
 Ne per conventus, et cuncta per oppida curvis
 Unguibus ire parat nummos raptura Celaeno:
 Tunc licet a Pico *g*) numeres genus; altaque si te
 Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
 Inter majores ipsumque Promethea ponas:
 De quocumque voles proavum tibi sumito libro.
 Quod si praecipitem rapit ambitio atque libido,
 Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
 Delectans hebetes lasso lictore secures:
 Incipit ipsorum contra te stare parentum
 Nobilitas, claramque facem praeferre pudendis,
 Omne animi vitium tanto conspectius in se
 Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
 Praeter majorum cineres atque ossa volucris
 Carpento rapitur pinguis Lateranus, et ipse,
 Ipse rotam adstringit multo suffamine consul,
 Nocte quidem: sed luna videt, sed sidera testes
 Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
 Quum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
 Sumet, et occursum numquam trepidabit amici
 Jam senis, ac virga prior adnuet, atque maniplos
 Solvet, et infundet jumentis hordea lassis.
 Interea, dum lanatas torvumque juvenum
 More Numae cedit *h*) Jovis ante altaria, jurat
 Solam Eponam *i*) et facies ad praesepia pictas.
 Sed quum pervigiles placet instaurare popinas;
 Obvius adsiduo Syrophoenix udus amomo.
 Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae,
 Hospitis adfectu dominum regemque salutat.
 Defensor culpae dicet mihi: *Fecimus et nos*
Haec juvenes. Esto! desisti nempe, nec ultra
 Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes:
 Quaedam cum prima resecentur crimina barba.
 Indulge veniam pueris. Lateranus ad illos
 Thermarum calices inscriptaque linea vadit,
 Maturus bello, Armeniae Syriaeque tuendis
 Amnibus et Rheno atque Istro: praestare Neronem

Securum valet haec aetas. Mitte Ostia, Caesar,
 Mitte; sed in magna legatum quaere popina.
 Invenies aliquo cum percussore jacentem,
 Permixtum nautis et furibus ac fugitivis,
 Inter carnifices et fabros sandapilarum,
 Et resupinati cessantia tympana Galli,
 Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
 Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli,
 Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
 Nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas.
 At vos, Trojugenae, vobis ignoscitis; et, quae
 Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt?
 Quid, si numquam adeo foedis, adeoque pudendis,
 Utimur exemplis, ut non pejora supersint?
 Consumtis opibus vocem, Damasippe, locasti
 Sipario, clamosum ageres ut Phasma *h*) Catulli.
 Laureolum *l*) velox etiam bene Lentulus egit,
 Judice me, dignus vera cruce. Nec tamen ipsi
 Ignoscas populo: populi frons durior hujus.
 Qui sedet, et spectat triscuria patriciorum,
 Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
 Marmercorum alapas. Quanti sua funera vendant.
 Quid refert? vendunt, nullo cogente Nerone,
 Nec dubitant Celsi praetoris vendere ludis.
 Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
 Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
 Zelotypos Thymeles, stupidi collega Corinthi? *m*)
 Res haud mira tamen, citharoedo principe, minus
 Nobilis; haec ultra, quid erit nisi ludus? et illic
 Dedecus urbis habes, nec mirmillonis in armis,
 Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina:
 (Damnat enim talis habitus: sed damnat et odit)
 Nec galea faciem abscondit: movet ecce tridentem,
 Postquam librata pendētia retia dextra
 Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
 Erigit, et tota fugit agnoscendus arena,
 Credamus tunicae, de faucibus aurea quum se
 Porrigat, et longo jactetur spira galero
 Ergo ignominiam graviolem pertulit omni
 Vulnere, cum Graccho jussu pugnare sequator.
 Libera si dentur populo suffragia: quis tam
 Perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni;
 Cujus supplicio non debuit una parari
 Simia, nec serpens unus, nec culcus unus?

Par Agamemnonidae crimen : sed causa facit rem
 Dissimilem : quippe ille deis auctoribus ultor
 Patris erat caesi media inter pocula ; sed nec
 Electrae jugulo se polluit aut Spartani
 Sanguine conjugii, nullis aconita propinquis
 Miscuit, in scena numquam cantavit Orestes,
 Troica non scripsit. Quid enim Virginius armis
 Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba ?
 Quid Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit ?
 Haec opera, atque hae sunt generosi principis artes,
 Gaudentis foedo, peregrina ad pulpita cantu
 Prostitui, Grajaeque apium meruisse coronae.
 Majorum effigies habeant insignia vocis :
 Ante pedes domiti longum tu pone Thyestae
 Syrma et Antigonae, seu personam Menalippes,
 Et de marmoreo Citharam suspende colosso.
 Quid Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
 Inveniet quisquam sublimius, arma tamen vos
 Nocturna, et flammam domibus templisque parastis,
 Ut braccatorum pueri Senonumque minores,
 Ausi, quod liceat tunica punire molesta,
 Sed vigilat consul, vexillaque vestra coercet,
 Hic novus Arpinas *n*), ignobilis et modo Romae
 Municipalis eques galeatum ponit ubique,
 Praesidium attonitis, et in omni gente laborat.
 Tantum igitur muros intra toga contulit illi
 Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum
 Thealissae campis Octavius abstulit udo
 Caedibus adsiduis gladio ; sed Roma parentem,
 Roma *Patrem patriae* Ciceronem libera dixit.
 Arpinas alius *o*) Volscorum in monte solebat
 Poscere mercede alieno lassus aratro,
 Nodosam post haec frangebat vertice vitem,
 Si lentus pigra muniret castra dolabra ;
 Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum
 Excipit, et solus trepidantem protegit urbem.
 Atque ideo, postquam ad Cimbros stragemque volabant,
 Qui numquam attigerant majora cadavera corvi,
 Nobilis ornatur lauro collega secunda.
 Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
 Nomina : pro totis legionibus hi tamen et pro
 Omnibus auxiliis atque omni Pube Latina
 Sufficiunt Dis infernis, Terraeque parenti :
 Pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis.

Ancilla natus *p*) trabeam et diadema Quirini,
 Et fasces meruit regum ultimus ille bonorum.
 Prodit laxabant portarum claustra tyrannis
 Exsulibus juvenes ipsius consulis, et quos
 Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
 Quod miraretur, cum Coclite Mucius, et quae
 Imperii fines Tiberinum virgo *q*) natavit;
 Occulta ad patres produxit crimina servus *r*),
 Matronis lugendus; at illos verbera justis
 Adficiunt poenis, et legum prima securis.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
 Aeacidae similis, Vulcaniaque arma capessas,
 Quam te Thersitae similem producat Achilles.
 Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvās
 Nomen; ab infami gentem deducis asylo.
 Majorum Primus quisquis fuit ille tuorum,
 Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

- a) Fabiorum domui sacra Herculis erant perpetua. Qu. Fabius Maximus devicit Allobroges, populum Galliae Narbonensis; Publius Scipio Aemilianus de Numantia et Carthagine triumphavit; M. Curius devincit Sabinas, Samnites et Lucanos, Pyrrhumque, Epiri regem ex Italia expulit; Val. Corvinus eum Gallo eximiae corporis proceritatis congressus eum singulari certamine interfecit; Galba ex Sulpitorum genere, quod Galba imperator a Jove ducere voluit: e Lepidorum, familia complures de republica optime meriti.
- b) *Catine* (hodie *Catania*) ad Aetnam montem abundat punicibus.
- c) εὐρηξαμεν, συνχαίρομεν, i. e. Invenimus, gaudeamus.
- d) Rubellius ab Iulo; hiuc a Teucris, se oriundum gloriatus est.
- e) *Corytha* et *Hirpinus*, illa equa, hic equus generosus.
- f) Frustra Romam proficisci.
- g) *Picus*, Fauni pater, et Saturni filius.
- h) Munere decedens.
- i) Dea equisonum.
- k) *Phasma* i. e. *spectrum*, Catulli Comoedia.
- l) *Laureolus*, persona dramatica, in crucem agebatur.
- m) Quis non gladiator esse malit, quam comoedus?
- n) M. T. Cicero.
- o) C. Marius, qui primum rusticus, deinde miles gregarius tandem consul, devicto Jugurtha, Cimbros et Teutones debellavit. Marii collega in consulatu erat Qu. Luctatius Catulus, anti-quissimae nobilitatis.
- p) Servius Tullius.
- q) Cloelia.
- r) Servus, conjurationem filiorum Bruti senatui aperuit: et eeu urbis servator, libertate donatus; sed eeu delator dominorum suorum, in crucem actus est, quem matronae Romanae publice lugebant.

VIII. Epigrammata.

Ex Martiale.

In Cottum Lib. I. epigr. 10.

Bellus homo et magnus vis idem, Cotta videri,
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

De Arria et Pacto. I. 14.

Casta suo gladium quum traderet Arria Paeto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.

Ad Aeliam. I. 20.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia dentes:
Exspuit una duos tussis, et una duos.
Jam segura potes totis tussire diebus;
Nil isthic, quod agat, tertia tussis habet.

De Diaulo medico. I. 48.

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod Vespillo facit, fecerat et medicus.

Ad Flaccum. I. 99.

Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat;
Sed nil patrono porrigit, haec chiragra est.

In Linum. I. 38.

Quid mihi reddat ager, quaeris Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager: te Line non video.

De Fannio. II. 80.

Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriari, mori?

In Cinnam. III. 9.

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

In Nestorem. III. 28.

Auriculam Mario graviter miraris olere.
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

De

De piscibus sculptis. III. 35.

Artis Phidiacae toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

In Lentium. III. 43.

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito corvus, qui modo cygnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

In Cotilum. III. 63.

Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio; sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines,
Balsama qui semper, cinnama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat:
Qui movet in varios brachia volsa modos:
Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat:
Qui legit hinc illinc missas, scribitque tabellas:
Pallia vicini qui refugit cubiti:
Qui scit, quam quis amet, qui per convivia currit:
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras, hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res pertriosa est, Cotile, bellus homo.

De Thaide et Leucania V. 44.

Thais habet nigros, niveos Leucania dentes.
Quae ratio est? Emtos haec habet, illa suos.

Ad Bassum. V. 54.

Colchida quid scribis, quid scribis amice, Thyesten?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion, vel, si non placet hic, Phaëton.

Ad Cinnam. V. 77.

Profecit poto Mithridates saepe veneno,
Toxica ne possent saeva nocere sibi.
Tu quoque cavisti coenando tam male semper,
Ne possis umquam, Cinna, perire fame.

Ad Lupum. VI. 79.

Tristis es, et felix, sciat hoc fortuna, caveto:
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

In Paullam. IX. 9.

Nubere vis Prisco; non miror: Paulla, sapisti:
Ducere te non vult Priscus: et ille sapit.

E x O v e n o.

Ad quemdam pauperem medicum Lib. I. epigr. 21.

Qui modo venisti nostram mendicus in urbem,
Paullum mutato nomine sis medicus.
Pharmaca das aegrotis, aurum tibi porrigit aeger;
Tu morbum curas illius, ille tuum.

In Avarum. II. 112.

Ferrea cista auri custos tibi, ferrea porta,
Ferrea tota domus: ferreus et dominus.

In prodigum et parcum III. 95.

Hic nisi post mortem veteri nil donat amico:
Ille nihil, quod post funera donet, habet.

In Marcum. Lib. Singul. 23.

Plus tibi pollicitis praestandum, non minus: unde
Una data est homini lingua, manusque duae.
At tu nil praestas, promittis plurima: tamquam,
Marce, duae linguae sint tibi, nulla manus.

In Ponticum clientem. Lib. Singul. 68.

Pontice, causidico nil porrigis; ista chiragra est,
Ille pedem pro te non movet; haec podagra est.

In hypocritam. Lib. I. 46.

Nescit, ait, mea laeva manus, quid dextera donet.
Credo, quod omnino dat tua dextera nihil.

In Cinnam medicum. I. 86.

Tollere scis morbos, at quomodo? tollis et aegros:
Quodque facis (Judas ut) cito, Cinna, facis.
Qui tuus est patiens, o terque quaterque beatum!
Aegrotare illum non patere diu.

In quemdam oratorem infinitum. Lib. III. 123.

Omnia quum dixi, superest tibi dicere: Dixi.
Haec mihi sermonis vox placet una tui.

In Labienum Philautum. I. 64.

Se solum Labienus amat, miratur, adorat:
Non modo se solum, se quoque solus amat.

In ignorantem adrogantem. III. 59.

Captivum, Line, te tenet ignorantia duplex:
Scis nihil, et nescis te quoque scire nihil.

IX. Idyllia.

Ex Publio Virgilio Marone.

Ecloga 1.

Tityrus.

Meliboeeus. Tityre, tu, patulae recubans sub tegmine
fagi,

Silvestrem tenui musam meditaris avena.
Nos patriae fines, et dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus! Tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Tityrus. O Meliboee, deus a) nobis haec otia fecit;
Namque erit ille mihi semper deus! Illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus!
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

Me. Non equidem invideo; miror magis. Undique totis
Usque adeo turbatur agris! En, ipse capellas
Protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De caelo tactas memini praedicere quercus!
Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

Ti. Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi,
Stultus ego huic nostrae b) similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere foetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
Noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Me.

Me. Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

Ti. Libertas! quae sera tamen respexit inertem,
Candidior postquam tendenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit:
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit;
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat:
Nec spes libertatis erat nec cura peculi.

Quamvis multa meis exiret victima sepiis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

Me. Mirabar, quid moesta deos, Amarylli, vocares,
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

Ti. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria c) fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:

Pascite, ut ante boves, pueri, submitte tauros.

Me. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt?
Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducatur pascua junco.
Non insueta graves tentabunt pabula foetas,
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota,
Et fontes sacro frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper vicino ab limite sepes
Hyblaeis apibus florem depasta d) salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro:
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Ti. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces,
Ante, pererratis amborum finibus, exsul,
Aut Ararin Parthus bibet, aut Germania Tigrin, c)
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Me. At nos hinc alii sitiennes ibimus Afros:
Pars Scythiam, et rapidum Cretae veniemus Oaxen,
Et penitus toto divisos orbe Britannos!
En unquam patrios, longo post tempore, fines,
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna! videns mirabor aristas?

Impius haec tam culta novalia miles habebit?
 Barbarus has segetes? en! quo discordia cives
 Perduxit miseros! en! quis consevimus agros!
 Insece nunc, Meliboeë, piro! pone ordine vites!
 Ite meae, felix quondam pecus! ite capellae!
 Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
 Dumosa pendere procul de rupe videbo;
 Carmina nulla canam; non me pascente, capellae
 Florentem cythisum et salices carpetis amaras.

Ti. Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
 Fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,
 Castaneae molles, et pressi copia lactis,
 Et jam summa procul villarum culmina fumant,
 Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.

a) *Deus* est Caesar Octavianus, quem Laris instar a se cultum iri, Tityrus vocet. Dicti sunt Romanis *Lares*, Graecis ἄγῶνες homines divinitate donati.

b) sc. Mantuae.

c) *Altare* i. e. alta ara, Hochaltar, Brandaltar, ἱερὸν οὐρανόθεν.

d) *Sepes despasta*, i. e. sepes, quam depascuntur.

e) i. e. *numquam*. *Arar* (Saone), qui ad Lugdunum Sequanorum (Lyon) insluit in Rhodanum (Rhone). *Rhodanus* vero et *Rhenus*, secundum Eratosthenis mappam geographicam, fines Celtarum et Germanorum separarunt. *Tigris*, in Armenia majore ortus, Euphrati junctus, in sinum Persicum intrat.

Ecloga 4.

P o l l i o.

Sicelides musae, paullo majora canamus:
 Non omnes arbusta juvant humilesque myricae.
 Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
 Ultima Cumæi venit jam carminis aetas;
 Magnus a) ab integro seclorum nascitur ordo,
 Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.
 Jam nova progenies caelo demittitur alto.
 Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
 Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
 Casta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo.
 Teque adeo, decus hoc aevi, te consule, inibit,
 Pollio; et incipient magni procedere menses.
 Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri
 Irrita perpetua solvent formidine terras:

Ille

Ille deum vitam accipiet, divisque videbit
Permistos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus:
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet! Assyrium vulgo nascetur amomum.

At simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus;
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetin ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae jubeant tellurem infundere sulco.
Alter erit tum Tiphys, et altera, quae vehat, Argo.
Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit aetas:
Cedet et ipse mari vector b), nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos:
Talia secla, suis dixerunt, currite, fuis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere, o magnos (aderit jam tempus!) honores,
Cara deum soboles, magnum Jovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum!
Adspice venturo laetentur ut omnia seculo!
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis, atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,

Pan etiam Arcadia dicet se iudice victum!
 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem!
 Matri longa decem tulerunt fastidia menses!
 Incipe, parve puer! Quoi non risere parentes;
 Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est!

a) *Magnus seclorum ordo*, i. e. magnus mundi annus, alias annus Saturnius, vel Platonius dictus, continet secundum alios 3000, secundum alios 18000 annos solares. Hujus anni *ver* continebat aetatem auream, *aestas* argenteam, *autumnus* aeneam; *hiems* ferream. Redit igitur, per recens natum magnum annum, *aetas aurea*.

Vector, i. e. et ille, qui vehitur, seu mercator, et ille, qui vehit, seu nauta. Non bella tantum sed et commercia desinent.

Ecloga 5.

D a p h n i s.

Menalcas. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,

Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
 Hic corylis mixtas inter considimus ulmos?

Mopsus. Tu major: tibi me est aequum parere *Menalca*:
 Sive sub incertis Zephyris montantibus umbras,
 Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
 Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

Me. Montibus in nostris solus tibi certet *Amyntas*.

Mo. Quid, si idem certet *Phoebum* superare canendo?

Me. Incipe, Mopse, prior: si quos aut *Phillidis* ignes,
 Aut *Alconis* habes laudes, aut jurgia *Codri*:
 Incipe; pascentes servabit *Tityrus* haedos.

Mo. Imo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
 Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,
 Experiar. Tu deinde jubeto, certet *Amyntas*!

Me. Lenta salix quantum pallenti cedit *olivae*,
 Puniceis humilis quantum salianca rosetis,
 Iudicio nostro tantum tibi cedit *Amyntas*!

Mo. Sed tu desine plura, puer, successimus antro.
 Extinctum *Nymphae* crudeli funere *Daphni*
 Flebant: vos coryli testes et flumina *Nymphis*:
 Quum complexa sui corpus miserabile gnati,
 Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
 Non ulli pastos illis egere diebus
 Frigida, *Daphni*, boves ad flumina; nulla neque annem

Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
 Daphni, tuum Poenas etiam ingemuisse leones
 Interitum, montesque feri, silvaeque loquuntur.
 Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
 Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
 Et follis lentas intexere mollibus hastas *b*).
 Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
 Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
 Tu decus omne tuis! Postquam te fata tulerunt,
 Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
 Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
 Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.

Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
 Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
 Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
 Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
 DAPHNIS, EGO. IN. SILVIS. HINC. VSQVE. AD.

SIDERA. NOTVS.

FORMOSI. PECORIS. CVSTOS. FORMOSIOR. IPSE.

Me. Tale tuum nobis carmen, divine poëta,
 Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
 Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
 Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.
 Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
 Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
 Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra;
 Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis.

Mo. An quidquam nobis tali sit munere majus?
 Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
 Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

Me. Candidus insuetum miratur limen Olympi,
 Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
 Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas,
 Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
 Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
 Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
 Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
 Intonsi montes, ipsae jam carmina rupes,
 Ipsa sonant arbusta: *Deus, Deus ille, Menalca!*
 Sis bonus, felixque tuis! en! quatuor aras:
 Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoëbo *c*).
 Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
 Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi.

Et multo in primis hilarans convivium Baccho,
 Ante focum, si frigus erit, si messis in umbra,
 Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
 Cantabunt mihi Damoetas, et Lictius Aegon;
 Saltantes satyros imitabitur Alphe Siboeus.
 Haec tibi semper erunt, et quum solemnia vota
 Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
 Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
 Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
 Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
 Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
 Agricolae facient; damnabis tu quoque votis d).

Mo. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona!
 Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,
 Nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quae
 Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Me. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.

Haec nos; *Formosum Corydon ardebat Alexin*;

Haec eadem docuit: *Cujum pecus? an Meliboei e)?*

Mo. At tu sume pedum, quod me quum saepe rogaret,
 Non tulit Antigenes; et erat tum dignus amari:
 Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

a) Sub persona *Daphnidis* (δαφνη, laurus) latet Julius Caesar saepe victor, sub persona *Menalcae* ipse Virgilius; per *Nymphas* indicantur Dii Romanorum tutelares, uti per *matrem* Venus, a qua genus suum Caesar deducendum putavit, per *pastores* principes civitatis; per *armata* cives romani; per *Poenos leones* populi exteri Romanis subditi, in primis Carthaginienses, quorum urbem, uti et Trojam, restituere voluit Caesar.

b) Causa communis luctus; quia Caesar malis reipublicae mereri conabatur, instar Bacchi et Cereris, qui homines silvestres et feros legibus socialibus junxerant, et ad morum culturam traduxerant; hincque *Σεσηφογοί* dicti sunt.

c) Daphnis conjungitur cum Apolline, quia Caesaris dies natalis (13. Julii) conveniebat cum festo Apollinis die. Adluditur hic ad Caesaris diem natalem. Daphnidi *arae* ad sacrificia incrementa; Apollini *altaria* ad hostias immolandas voventur. *Das altaria Phoebos*, i. e. duas aras, quae sint altaria.

d) Ut Bacchus et Ceres, et tu invocatus, audies precantium vota; et ad vota solvenda damnabis.

e) Ecloga secunda et tertia Virgilia.

B r e v i s N o t i t i a

d •

v i t a e t s c r i p t i s a u c t o r u m ,
q u o r u m f r a g m e n t a c o n t i n e n t u r

S e l e c t o r u m L a t i n a e O r a t i o n i s E x e m p l a r i u m

Volumine I.

Sextus Aurelius Victor, verisimilius ex Africa oriundus, vixit seculo quarto; a Juliano Augusto, cui carissimus erat, honoribus auctus, a Theodosio praefectus urbi est creatus. Scripsit *historiam de origine populi Romani*. Tribuuntur eidem nonnulla et alia opera, quae aliorum auctorum esse putantur.

C. Valerius Catullus, Veronensis, natus anno U. C. 668, de cujus vita certi nihil constat. Ciceronis et Cornelii Nepotis amicum fuisse Catullum, ipsius carmina testantur. C. Julium Caesarem, et ipsius mores minime amasse videtur. Scripsit carmina lyrica, suavia, placidiora, elegantissima, in quibus tamen, depravato corruptoque seculi sui genio indulgens, decentiam morumque honestorum observantiam nonnunquam offendit.

M. Tullius Cicero, ordinis equestris, quum ad rempublicam animum adpult, primo quaestor, dein praetor urbanus, tandem consul creatus, conjurationem Catilinariam oppressit, et *Pater Patriae* dici meruit. In bello civili stetit a partibus Pompeji; quo victo cum Caesare in gratiam rediit. Tandem jubente M. Antonio, qui cum Octaviano et Lepido rempublicam triumviri invaserant, interfectus est a Popilio anno 43. ante Christum natum. Scripsit *Orationes plurimas*, quarum 62 ad nos pervenerunt; praeter oratoria scripta reliquit plurima etiam *Rhetorica*, seu ad oratoriam formantia mentes; uti et *Libros Philosophicos*, nec non *Epistolas ad Atticum et ad Diversos*.

Cor-

Cornelius Nepos, in Veronensium vico, qui Hostilia dicitur, natus, vixit et ante Caesaris dictaturam, et eo dictatore, et post ejusdem dictaturam. Vir eruditissimus, et Ciceronis, Attici, Catulli, aliorumque summi nominis virorum amicus. De ejus vita nihil certi constat. Ex plurimis ejusdem scriptis solae nobis supersunt *Vitae Excellentium Imperatorum*.

Curtius, de quo usque adeo nihil certi habemus, ut nonnulli, quamquam perperam, eum ex auctorum veterum numero expungendum censeant, vixit verisimilius circa medium seculi primi. Scripsit de Alexandri Magni rebus gestis, quas decem libris enarrat stylo ornatiore et cultiore. Initium historiae, et loca alia, quae temporum injuria perierunt, Bruno, Freinsheimius et Cellarius supplere conati sunt.

Eutropius, puerorum aetati convenientissimus stylo minus quidem concinno, facili tamen et plano utitur. De hoc auctore id solum comperimus, scripsisse illum anno circiter 364. aerae nostrae *Rerum Romanorum Breviarium* ad Flavium Valentem Augustum. In hujus brevii libro ultimo hoc obiter de se attigit; militasse se sub Juliano Augusto, ejusque in Persas expeditioni interfuisse. De Eutropii patria certi nihil constat. Alii Gallum esse eundem volunt; alii vero Graecum fuisse, ex his colligi posse adfirmant: primum, quod nomen ejus est unicum, idque graecanicum (*εὐτρόπιος bene moratus*), deinde, quod oratio non vere romana, nisi id seculo illi adscribere malimus; tum quod bella, quae in eo orbe gesta sunt, sequebatur; postremo quod ad eum Caesarem scripsit, qui partem imperii romani orientalem Constantinopoli administrabat. Suidas vero Eutropium nominat *Sophistam Italum*. Sunt, qui per nominis aequalitatem in errorem inducti, Eutropium S. Augustini discipulum esse putarunt. Sed tempora repugnant. Eutropius enim noster, qui Constantini ejusque filiorum temporibus vixit, Augustino junior esse nequit. Quid? quod neque Christianus videtur, quum Christianorum persecutiones reticeat, et in Joviano aperte laudet suadeatque perfidiam. Scripsit Eutropius, teste Suida quum alia quaedam, tum etiam hoc, quod unum hujus auctoris nobis superest opus, *Rerum Romanarum Breviarium* ab urbe condita usque ad Flavium Valentem Augustum; cujus jussu hoc historiae romanae summa-

ri-

rium scripsisse, et cui opus suum dicasse, nonnullis subdubitantibus vulgo putatur. Quanti hoc Eutropii opus et a graecis habitum sit, vel illud argumento esse potest, quod ejusdem metaphrases graecas Capito, historicus Lycius, et Pacanius conscripserunt.

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino, et auctionum coactore: ut vere creditum est, salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset: *Quoties ego vidi patrem tuum cubito emungentem?* Bello Philippensi, excitus a M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit, victisque partibus, venia impetrata, scriptum quaestorium comparavit. Ac primo Maecenati, deinde Augusto insinuat, non mediocrem locum in amborum amicitia tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate, ubi inquit:

*Ni te visceribus meis, Horati
Plus jam diligo, Titium sodalem
Mimo tu videas strigosiorum*

sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio: *Horatii Flacci, ut mei, memor esto.* Augustus ei epistolarum officium obtulit. Hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse scribendi epistolis amicorum sufficiebam; nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis juvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quidquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolae hujus amicitiae argumenta. Sic namque Horatio scribit Augustus: *Sume tibi aliquid juris apud me, tamquam si convictor mihi fueris; recte enim et non temere feceris; quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per validitatem tuam fieri possit.* Et rursus: *Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimo quoque nostro audire. Nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram sprevisi, ideo nos quoque ἀνδοπεριφανοῦμεν vicissim nos efferimus superbe.* Praeterea saepe homuncionem lepidissimum adpellat: unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo, ut ei non modo carmen seculare componendum injunxerit, sed et Vindeliciam victoriam Tiberii Drusique privignorum; eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris, ex longo intervallo, quartum addere; post

post sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit questus; *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris nobis esse familiaris?* expressitque elogium, cujus initium est: *Quum tot sustineas et tanta negotia solus cet.* Horatius habitu corporis brevis fuit, atque obesus; qualis a se ipso et in satyris describitur, et ab Augusto hac epistola: *Protulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne adusem te, quantuluscumque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint quam ipse es; sed si tibi statura deest, corpus non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas: quum circuitus voluminis tui sit ὄγκωδεςατος* (tumidissimus latissimus) *sicut est ventriculi tui.* Vixit plurimum in recessu ruris sui Sabini aut Tiburtini. Natus est sexto idus Decembres, Lucio Cotta et Lucio Torquato consulibus. Decessit quinto calendas Decembres, Cajo Mario Censorio, et Cajo Asinino Gallo consulibus, post nonum et quinquagesimum annum, herede Augusto palam nuncupato: quum urgente vi validudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis, juxta Maecenatis tumulum. Scripsit Horatius romanae fidicen lyrae *Odarum libros quatuor et Epodon unum; Satyrarum libros duos, duosque Epistolarum.* Circumferebantur haud multo post Horatii mortem etiam *elegi* sub ejus titulo, et *epistola* prosa oratione, quasi commendans se Maecenati. Sed utraque jam tum visa sunt eruditibus falsa; nam *elegi* vulgares fuere, *epistola* etiam obscura: quo vitio minime tenebatur Horatius.

D. J. Juvenalis, liberti locupletis incertum filius an alumnus, ad mediam fere aetatem declamavit, animi magis causa, quam quod scholae aut foro se praepararet. Deinde paucorum versuum satyra non absurde composita in Paridem pantomimum poëtamque Claudii Neonis, ejus semestribus miliuolis tumentem genus scripturae industrie excoluit. Et tamen diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus. Mox magna frequentia, magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quae prima fecerat, infarciret novis scriptis:

*Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Cumerinos,
Et Barcae, tu nobilium magna atria curas.*

Prae-

Praefectos Pelopaea facit, Philomela tribunus.

Erat tum in deliciis aulae histrio; multisque fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figurate notasset, ac statim per honorem militiae, quamquam octogenarius urbe submotus, missusque ad praefecturam cohortis in extrema parte tendentis Aegypti. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus angore et taedio periit. Scripsit satyras quindecim; aut: si mancam et imperfectam iis adnumerare velis, sedecim; in quibus aut amare ridet, aut vehementer castigat non tam aevi sui vitia quam scelera, quae graphice, et non raro plus aequo liber, pingit.

Titus Livius, Patavii natus, vixit Augusti seculo; Romanorum historiae scriptorum princeps, scripsit *historiam populi Romani*: ab Aeneae adventu in Italiam, usque ad annum U. C. 744, res a populo Romano gestas, complexus libris 140, aut, ut alii volunt, libris 142, quorum non nisi priores decem, et libri a vicesimo primo usque ad quadragesimum quintum nobis supersunt. Freinsheimius e compendio historiae Livii dedit supplementa 95, quae in editionibus majoribus plerumque inveniuntur.

M. Annaeus Lucanus, nepos Senecae majoris, natus Cordubae anno post Christum natum 38, mortuus anno 65, prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein civile bellum, quod inter Pompejum et Caesarem gestum est, recitavit. Qui tantae levitatis et tam immodicae linguae fuit, ut in praefatione quadam aetatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: *et quantum mihi restat ad culicem?* Hic initio adolescentiae, quum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longe cognovisset, revocatus Athenis a Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam quaestura honoratus; non tamen permansit in gratia. Siquidem aegre ferens, recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa indicto senatu, Neronem recessisse: neque verbis adversus principem, neque factis exstantibus post haec temperavit, atque famoso carmine quum ipsum, tum potentissimos amicorum gravissime proscedit. Ad extremum paene signifer Pisonianae conjurationis exstitit. Verum detecta conjura-

tio-

tione, nequaquam animi constantiam praestitit. Facile enim confessus et ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit: sperans impietatem sibi apud parricidam principem profuturam. Impetrato autem libero mortis arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibusdam versibus suis exaravit: epulatusque largiter, brachia ad secandas venas medico praebuit. Lucani epopoeia, *Pharsalia*, magis a fide historica, characteribus personarum agentium et curate delineatis constanterque observatis, tandem ab orationibus cum cura elaboratis, quam ab ingenio et inventione poetica commendari meretur.

Titus Lucretius Casus, patria ut videtur Romanus, natus est, teste Eusebio, anno secundo olympiadis 171, U. C. 659, ante Christum 95. In furorem versus, sua se manu, teste eodem Eusebio, interfecit aetatis anno 44 U. C. 703, ante Christum 51. Scriptor vitae Virgillii eo die, quo togam virilem sumpsit Maro, periisse Lucretium testatur, anno U. C. 698. *Alii*, ut ait clarissimus Thomas Creech, *codem die, quo natus est Virgilius, obiisse ferunt: ut aliquis Pythagoreus credit, Lucretii animum in Maronis corpus transiisse, ibique longo usu et multo studio exercitatum poetam perfectissimum obiisse.* An sibi ipse manus attulerit, incertum. Interiit anno aetatis 43. Exstant ejus liberi VI. *de rerum natura*, ad C. Memmii Gemellum, heroico poemate, versibus jucundo antiquitatis sapore conditis, Epicuri de rebus naturalibus sententiam, sed et impios ejus errores disertissime explicant. Erat quippe philosophus de Epicuri schola acutissimus, quem qui legunt, videntur, ut ait Vitruvius IX. 3, cum eo velut coram de rerum natura disputare: poeta sublimis, idemque elegans et multae artis luminibus pictus ac linguae latinae auctor egregius.

Paullus Manutius, Aldi filius, natus Venetiis 1512. puritatis et elegantiae sermonis romani ciceroniani-que adeo studiosus, ut nonnumquam plurium ad unam epistolam familiarem scribendam hebdomadam operam impenderet. A Pio V. et rursus Gregorio XIII. Romam vocatus, editionem SS. Patrum curavit. Editiones Paulli Manutii, in primis editio Ciceronis, aequiparantur manuscriptis. Mortuus est Venetiis 1554. Scripsit *Epistolarum et praefationum libros 12; Antiquitatum roma-*

narum libros 4; *Calendarium vetus romanum cum commentario*; *Apophthegmata seu adagia*; *Emendationes in Plinii historiam naturalem*; *Scholia in Asconium Pædianum*; *Scholia in Demosthenis orationes*; *de veterum dierum ratione*; *Scholia in Ciceronis rhetoricam et philosophiam*; *Commentarium in Ciceronis orationes*; *in ejusdem epistolas familiares*; *in libros de officiis*; *Judicium de poetis legendis*; *Emendationes in omnia Ciceronis opera*; *Notas in Virgilium et Horatium*. Scripsit etiam nonnulla sermone Italico.

M. Valerius Martialis natus Bilbili in Celtiberia, quae est regio Hispaniae Tarraconensis, Claudio Caesare imperante. Scripsit Tito et Domitiano Imperatoribus *Epigrammata*; quae ipse in libros XIV. redegit. His praemittitur *Libellus de Spectaculis*, qui fortasse plurimum aliorum epigrammata continet. Epigrammatis, in quo cum festivissimo sermonis lepore regnat argutia, non princeps tantum sed et pater est Martialis.

Marcus Antonius Muretus natus anno aerae vulgaris 526 in Gallia Aquitanica, in pago, cui Mureto nomen, quem familia Mureti possedit antiquitus, nomenque inde accepit. Ut primum imbutus est Muretus literis, quibus informari ad humanitatem aetas puerilis solet: Lemovici in patria sua, deinde Aginni eas docere coepit, adolescentulus. Quum Aginni ejus doctrina atque ingenium omnium fama celebraretur: profectus est Lutetiam; ubi adhuc peradolenscens ita docuit, ut ejus audiendi causa ex tota urbe concursus fieret. Docuit et in aliis Galliae urbibus, tum Tolosae juris civilis docendi primum quidem facultatem, deinde etiam potestatem accepit. Annum agens duodecimesimum venit Venetias: paulo post concessit Patavium. Anno aetatis circiter quarto et tricesimo Aristotelis Ethicam et jus civile Romae docuit. Ad annum vero aetatis undesexagesimum, Gregorii XIII. auctoritate permotus, in Platonis, Senecae, Horatii, Taciti, Ciceronis, aliorumque explicatione reliquos annos consumpsit. Scripsit *Orationes a se habitas Venetiis et Romae quinquaginta duas*; *Poëmata tam graeca quam latina: Epistolarum item ad familiares volumen*; *Eruditas de jure civili disputationes in quatuor libri primi Pandectarum titulos*; *Commentarios varios et scholia in Terentium, Horatium, Catullum,*
Ti.

Tibullum et Propertium; in Ciceronis Catilinaris; Castigationes in Philippicas cet.

P. Ovidius Naso anno U. C. 711. C. Vibio Pansa et A. Hirto consulibus, natus est Sulmone in Pelignis e gente splendida ordinis equestris. Institutus Romae iis literis, quibus puerilis aetas imbui solet cum toga virili sumsit latum clavum, quem filiis ab Augusto expetebant illustres equites. Pater enim reipublicae honoribus destinaverat Ovidium nostrum, studioseque eum deterruit a studio poëtico, cujus tam divitem sortitus erat venam adolescens, ut sponte sua carmen numeros veniret ad aptos; *quidquid enim tentaret dicere, versus erat.* Nihilo tamen minus, patre sic volente, etiam eloquentiae dedit operam, et declamando in rhetorum scholis vocem formavit. Tum Athenas studiorum causa se contulit; mox Asiae Siciliaeque urbes nobiliores cognovit. Sic institutus et praeparatus, aetatis anno vicesimo *triumviratus* munere functus est, quod mandabatur adolescentibus, in spem senatus latum clavum gerentibus. Judicabant vero *triumviri* isti *capitales* dicti, de capite tenuissimae conditionis hominum, carcerisque habuerant custodiam. Postea inter *decemviros*, quorum erat, praeesse judiciis centumviralibus, electus est. Quum peractis his honoribus nihil superesset, nisi, ut in senatum adlegeretur: Ovidius, otii illecebris ductus, spem senatus sponte abiecit, positoque lato clavo rursus angustum sumsit: privatusque Romae musis vixit usque ad annum aetatis quinquagesimum secundum, quo in exsilium missus, seu potius relegatus est ab Augusto. Relegatio, quae lenior erat exsili poena, non fiebat ex senatus decreto, neque jus civitatis et fortunas adimebat. Quae istius relegationis fuerit causa, non liquet; Ovidio et historicis eam tacentibus. Ovidius, Roma relegatus, per mare Adriaticum, Jónium et Aegeum vectus, venit in Thraciam, et inde pedibus profectus est *Tomos*, hodie, *Tomiswar*, quae urbs sita erat ad sinum Ponti Euxini, haud procul ab Istri ostiis. Tomitis, peregrini poëtae ingenii nobilitatem pluris facientibus quam Romani Imperatoris proscriptionem, fuit carissimus; a quibus multis magnisque beneficiis ornatus, et, quum carmen de Caesaris laudibus sermone Getico, qui Tomitarum erat patrius, composuisset, lauro poëtica est coronatus. Mortuus est anno aetatis sexages-

gessimo, U. C. 770. exsili octavo, sepultusque ante Tomorum portam loco celeberrimo; exstructo eidem etiam publice monumento magnifico. Epitaphium ipse sibi composuit:

*Hic ego, qui jaceo tenerorum lutor amorum
Ingenio perii Naso poeta meo.*

*At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.*

Opera Ovidii sunt: *Metamorphoson LL. XV*; quod opus jam finitum quidem, sed nondum ultima lima perpolitum, ante discessum suum cremavit. Quum vero ejusdem exempla jam plura essent distracta, passus est, ut publici juris fieret. Etiam *Fastorum* libros abruptit illa Ovidii relegatio; alii vero contendunt, libros sex posteriores absolutos quidem a poeta, sed temporum injuria esse interceptos. Scripsit praeterea Ovidius complura opera versibus elegiacis, uti sunt: *Heroides, Libri Tristium, Epistolae ex Ponto, cet.*

Aulus Persius Flaccus natus est pridie Nonas Decembres, Fabio Persico, L. Vitellio coss., decessit VIII. Cal. Decemb. Rubrio Mario, Asinio Gallo coss. Natus in Etruria Volaterris, eques romanus sanguine et adfinitate primi ordinis viris conjunctus. Decessit ad octavum milliarium via Appia, in praediis suis, Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea busio, equiti Romano; et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum XII. Volaterris: inde Romae apud grammaticum Remmiam Palaemonem, et apud rhetorem Virginium Flaccum. Quum esset annorum XVI. amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita, ut ab eo nusquam discederet: a quo introductus aliquatenus in philosophia est. Amicos habuit a prima adolescentia Caesium Bassum et Calpurnium Staturam, qui eo vivo juvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Numanum. Per Cornutum cognovit Annaeum etiam Lucanum: aequaevum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore tragicus fuit, sectae stoicae, qui libros philosophiae reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta flacci, ut vix retineret se illo recitante a clamore, quin illa esse vera poemata diceret. Sero cognovit Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum viroꝝ, acriter tum philosophan-

phantium, Claudii Agaterni, medici Lacedaemonii, et Petronii Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, quum aequales essent, et Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita, ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit circa HS. XX. matri et sorori: scriptis tantum ad matrem codicillis, rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centies; ut alii volunt, argenti facti pondera viginti, et libros circa septingentos, sive bibliothecam suam omnem. Verum Cornutus sublatis libris, pecuniam sororibus, quas frater heredes fecerat, reliquit. Et raro et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit; versus aliqui denti sunt in ultimo libri, et quasi finitus esset, leviter recitavit Cornuto; et Caesio Basso potenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus *Praetextam* et *ὁδοπορικῶν* (itinerarium) librum unum, et paucos sororum Thraseae in Arriam matrem versus, quae se ante virum occiderat. Omnis autem Cornutus auctor fuit matri ejus, ut ea aboleret. Editum librum continuo admirari homines, et diripere coeperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno aetatis XXX. Sed mox, ut a schola et magistris deverterat, lecto libro Lucillii decimo, vehementer satyras componere studuit, cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit; cujus versus in Neronem quum ita se haberet:

Auriculas asini Mida rex habet:

in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus:

Auriculas asini quis non habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur. Supersunt nobis Persii satyrae sex, quae corruptos suorum temporum mores perstringunt; sed partim stylo presso, partim adlusionibus frequentibus ad mores hominesque singulares, non raro sunt subobscurae.

Titus Petronius, cognomine *Arbiter*, quia a Nerone spectaculorum publicorum arbiter et magister nomi-

minatus fuerat, vixit seculo aerae christianaee primo. Alii philosophis, alii poetis adnumerandum Petronium volunt. Scripsit *Satyricon*, in quo effrenatos aevi sui mores, per universam urbem, in primis in aula Neronis dominantes, multis cum salibus, qui non raro in obscuro delabuntur, ad vivum depingit.

Phaedrus, natione Thrax, libertus Augusti, de cuius vita certi nihil constat, scripsit *libros quinque Fabularum Aesopicarum*, quas non tam invenit, quam jam ab aliis inventas iambis elegantissimis trimetris exornavit, adeo ut sermo Phaedri aequiparetur ab eruditissimis Terentiano

Cajus Plinius Caecilius Secundus vixit seculo primo, et secundo, Quintiliani discipulus in arte oratoria, qua multum inclaruit. A Domitiano praetor, a Nerva et Trajano consul creatus est, qua occasione *Panegyricum Trajano dixit*. Praeter hanc orationem scripsit etiam *Epistolarum libros decem*.

Cajus Crispus Sallustius, natus Amiternis in Sabini anno U. C. 669. L. Cornelio Cinna III. et Cn. Papirio Carbone consulibus. A teneris annis excultam eloquentiam et operam diligentem literis a Sallustio datam, satis ostendunt ejus scripta; neque enim ita scribunt, qui serius sese ad literarum studia contulerunt. Vix tamen videtur more aliorum causas agitare, ut gratiam ac famam sibi actionibus forensibus compararet. Quum ad capessendos reipublicae honores contenderet, quaesturam est consequutus. Aliosne honores ambiverit, an ad vitam privatam, iis missis, redierit, non satis liquet. Ab hoc certe tempore honores nullos gessit usque ad tribunatum plebis, quem adeptus est anno U. C. 702 Anno U. C. 704. L. Aemilio Paulo et C. Claudio Marcello consulibus, Appius Claudius Pulcher censor, non repugnante collega L. Calpurnio Pisone, omnes libertinos, ut docet Dio libro 46, multos etiam nobilium, atque inter eos Crispum Sallustium senatu ejecit. Belli civilis tempore in Galliam ad Caesarem se contulit; a quo, armis oppressa republica, anno sequente U. C. 705. C. Claudio Marcello et L. Cornelio Lentulo consulibus in senatum est reductus; quaestura iterum recepta, ut honestius in ordinem amplissimum reciperetur. Antequam Caesar contra Scipionem, Pompeji socerum, in Africam iret, anno U. C. 707. Sallustium fecit Praetorem,

rem, eumque, quum sub brumam trajiceret in Africam secum duxit; quem paucis diebus, postquam adpulisset, quum annonae penuria premeretur, ad Cercinam insulam, quam tum adversarii tenebant, ire jussit; quod ibi magnam esse frumenti copiam audierat. Sallustius, magno frumenti numero invento, naves onerarias, quarum ibi satis magna copia fuerat, completvit, atque ad Caesarem in castramisit. Quid aliud in eo bello gesserit Sallustius, nemo prodidit; sed fidelem atque strenuam navasse Caesari operam, ex praemio intelligitur. Confecto enim bello Africano, Caesar eum in Numidia recepta, verbo quidem provinciae administrandae causa, re ipsa autem expilandae, pro praetore reliquit. Multis divitiis auctus, Romam reversus, hortos pretiosissimos, qui *Sallustiani* ab ejus nomine dicti sunt, villam Tiburtinam, pluresque possessiones alias sibi comparavit. Qua ratione postea traduxerit Sallustius vitam, veteribus tacentibus, nobis non liquet. Fato functus est aetatis anno 70, quadriennio ante bellum Actiacum, U. C. 719, Sexto Pompejo et Sex. Cornificio coss. Vir sane memoria dignissimus, si historias ejus spectes; quae si nimium styli antiquioris studium excipias, locum inter historicos romanos principem, etiam judicio veterum, qui non tantum brevitatem et efficaciam singularem dictionis, sed etiam veritatis studium laudant, Sallustio pererunt. Scripsit Sallustius 1. *Conjunctionem Catilinariam*, cujus testis fuerat; 2. *Bellum Jugurthinum*, quod coeperat ante, quam nasceretur; 3. *Historiam rerum in republica romana per duodecim annos gestarum*, usque ad extremam Sullae dictaturam; 4. *Bellum Civile Sertorianum*, quod coeperat sub finem vitae Sullae, et quod Sallustio puero gestum est. Opus postremum periit, si fragmenta quaedam excipias, quae tamen sat ampla ad nos pervenerunt, ut ex iis intelligere possimus, non minus accurate, ac cetera scriptum fuisse.

Lucius Annaeus Seneca natus Cordubae in Hispania, patre M. Annaco Seneca, quem *rhetoris* seu *declamatoris* nomine a filio fere distinguunt. Pater, Augusti temporibus, Romam migravit cum Lucio nostro adhuc tenello. Ibi optimum in optimis artibus adolevit ingenium. Eloquentiam a patre edoctus, philosophiae animum adjecit, in primis stoicae. A philosophia ad

republicam accessit tractandam; ac quaesturam primo, post aliquot annos etiam praeturam gessit; consulatu etiam functus nonnullis putatur. At perpetuus ille ejus honos, Neronis praeceptorem moderatoremque fuisse; principis, quamdiu hujus consiliis se dedit, optimi. Tandem a Nerone mori jussus, nullo pavoris signo edito; quin imo flentes amicos ad animi firmitatem revocans; in ipsis sapientiae praeceptis vocem simul et spiritum extremum reddidit. Celeberrimum ejus opus sunt 124 *Epistolae ad Lucilium*, doctrinae et praeceptorum philosophicorum refertissimae. Scripsit et alia opera philosophica: *De Ira*, ad Novatum libros tres; *de Consolatione ad Helviam matrem*, librum unum; *de Consolatione ad Polybium*; librum ἀνευκαλον; *de Providentia*, librum unum; *de Tranquillitate Animi*; ad Serenum, librum unum; *de Constantia Sapientis, sive quod in sapientem non cadit injuria*; *de Brevitate vitae* ad Paullinum, librum unum, *de Vita Beata* ad Gallionem fratrem, librum unum; *de Otio et Secessu Sapientis*, libri partem; *de Beneficiis* ad Aebutium Liberalem, libros septem; ad Lucilium *Naturalium Quaestionum* libros septem; *Ludum de Morte Claudii Caesaris*. — Senecam nostrum etiam poëtam fuisse, testimonio aliorum scimus. Decem enim *Tragoediae*, quae vulgo eidem adscribimus, verisimilius aliorum opus sunt.

C. Silius Italicus vixit saeculo primo aerae nostrae. Licet de ipsius loco natali certi nihil constet: cognomen tamen *Italicus* ab Italica, Hispaniae urbe, accepisse videtur. In oratoria Ciceronis, in poësi Virgilii imitator studiosissimus; quorum tamen neutrum adsequutus est. Superest nobis Silius Italicus epopeia de *Bello Punico Secundo*, libris XVII constans: quae non tam ab inventionem et ingenio poëtico, quam a multo labore et studio, in primis vero a summa fide historica, (ob quam multas circumstantias historicas ex eadem, ceu ex fonte purissimo, haurire et supplere licet:) commendanda venit.

C. Suetonius Tranquillus, rhetor et causidicus romanus, vixit exeunte saeculo primo et incunte secundo. Scripsit *Vitam primorum Caesarum duodecim*, sine ullo partium studio, summo veri amore, multa rerum eruditione, stylo simplici et elegante. Praeterea scripsit

nonnulla minora *opuscula*, partim *critica*, partim *de vita eruditorum* agentia.

C. *Cornelius Tacitus*, Romanus, sub Nerva Imperatore consul Romae, Plinii Junioris aequalis et amicus; juvenis eloquentia inclaruit. Scripsit felicissima brevitate *Historiarum Romanarum a Galba Augusto usque de mortem Domitiani libros*, quorum non nisi quinque nobis supersunt, qui haud plura, quam anni unius res gestas complectuntur. Scripsit et *Annales ab Augusto usque ad mortem Neronis procurrentes*, quorum libros sex priores, quinto manco, et tum libros ab undecimo usque ad decimum sextum habemus. Praeterea scripsit *Librum de Situ et Moribus Germanorum; Vitamque Agricolae*. Perperam ipsi adscribitur *Dialogus incerti auctoris de Oratoribus*.

C. *Vellejus Paterculus* natus erat a. U. 735. a Chr. n. 19 eodem, quo Virgilius, et quidem X. cal. Oct. mortuus est. Initia stipendiorum tribunus militum fecit. a. U. 755. quo C. Caesar cum Phraate Parthorum rege ad pacis colloquia congressus est. Reliquae etiam C. Caesaris expeditioni in Armenia interfuisse, et post ejus obitum Romam rediisse videtur. Quum Tiberius ab Augusto adoptatus est: Vellejus Tiberii, in Germaniam statim missi, castra sequutus est praefectus equitum. His in castris per novennium stipendia meruit, scilicet per bellum Germanicum et Dalmaticum: iterumque Germanicum ad ulciscendam cladem Varianam susceptum. Tiberius triumphans Vellejum nostrum donis adornavit. Quum Tiberius adversus Marobodum, Marcomanorum regem, bellum moliretur, quaesturam petiturus domi mansisse videtur Vellejus. Nam quum interim, Tiberio contra Marcomanos profecto, bellum Pannonicum et Dalmaticum erupisset tremendum: Vellejus, quaestor designatus, partem exercitus ab Augusto recens coacti, hujus ex mandato, in auxilium Tiberio perduxit. Quo perducto ad quaesturam adeundam rediit noster. Tandem per dignitatem, verisimilius tribunitiam quam aedilitiam ascendit ad praeturam. De reliqua Velleji vita nihil amplius constat. Post praeturam autem ad consulatum, ante confectum opusculum suum adscendisse non videtur. Nam id honorum fastigium, ad quod Tiberii beneficio evectus esset, sine grati animi significatione haud praeteriisset. Opus Velleji a Beato Rhenano, ab in-

interitu id ex codice Murbacensi vindicante, editum est sub indice: *Historiae Romanae ad M. Vinicium Consulem* LL. II. A potiori operis argumento hic titulus effectus videtur. Nam maxima libri I. pars reliqua, totusque alter in rebus praecipue romanis non tamen in solis romanis enarrandis occupatur; sed complectitur etiam universam orbis historiam, seu clarissimorum populorum, a quibus terrarum imperium deinde transit ad Romanos.

P. Virgilius Maro, natus in pago, qui Andes dicitur, propter Mantuam; vixit ab Anno U. C. 648. usque 734. Quum Augustus Mantuanorum et Cremonensium, qui partibus adversis faverant, agros, jam rerum potitus, veteranis distribui jussisset: Virgilii pater bonis exutus est. Virgilius autem Pollionis, Transpadanam provinciam tum cum exercitu regentis, amicitiam consequutus, ornatusque commendatitiis ad Maecenatem literis, cum Marone patre Romam profectus, ibique Maecenatis suffragio adjutus, recuperavit agellos. A Maecenate, aequo tanti ingenii aestimatore, commendatus Augusto, una cum Horatio Imperatoris aequae ac Maecenatis non gratia tantum, sed etiam amicitia gavisus est. In poësi bucolica, didactica et epica romanorum poëtarum princeps, scripsit: 1. *Eclogas decem*, Theocritum, uti et Moscum, Bionemque felicissime ita imitatus, ut ea, quae ab aliis depromserat, privati juris sui faceret; 2. *Libros quatuor Georgicon*, praeceptorum suavitatisque refertissimos; 3. *Aeneidem* LL. XII., quam, quod ultima manus ei defuit, morti proximus conjecisset in ignem, nisi praeclarissimum hoc opus a Tucca et Vario, amicis Virgilii, auctoritate Caesaris Augusti, flammae fuisset ereptum. Adscribuntur Virgilio et alia minora quaedam opera poëtica, sed dubia; quae sub nomine *Catalectorum Virgilianorum* vulgo veniunt. Cadaver Virgilii prope Neapolim sepultum est, addito epitaphio: *Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.*

I n d e x

selectorum latinae orationis exemplarium.

Vol. I.

	Pag.
I. Similitudines et Comparationes	1
II. Narrationes:	
<i>A. Historicae</i>	6
<i>B. Oratoriae</i>	37
<i>C. Poëticae</i>	47
III. Descriptiones:	
<i>A. Historicae</i>	72
<i>B. Poëticae</i>	102
IV. Fabulae	134
V. Epistolae:	
<i>A. Prosaicae:</i>	
<i>a. Familiares:</i> e Ciceronis epistolis ad diversos	148
— — — — — ad Atticum	168
— — — — — e Plinii Caecili Secundi epistolis	189
— — — — — e Mureto — — — — —	215
— — — — — e Manutio — — — — —	221
<i>b. Elaboratae:</i> e Ciceronis epistolis ad diversos	224
— — — — — e Lucii Annaei Senecae epistolis	228
<i>B. Poëticae</i>	246
VI. Carmen Didacticum	283
VII. Satyrae	296
VIII. Epigrammata	319
IX. Idyllia	322
Brevis notitia de vita et scriptis auctorum, quorum fragmenta continentur in Volumine I.	329

Typis Antonii Piehler.

85.

1

6

37

47

72

92

34

48

58

89

15

21

24

28

46

33

6

9

22

29

